


B. 222.





ELOGIA  
TIBERII  
HEMSTERHUSII  
ET  
IO. MATTHIAE  
GESNERI.

---

AUCTORIBUS  
DAVIDE RUHNKENIO  
ET  
IO. AUG. ERNESTIO.

---

IN USUM STUDIOSORVM RECUSA.

---

HALAE SAX.

APUD IOANN. GOTTFR. HELLER.  
MDCCCLXXXVIII.

ПЯТИДНЯ  
ПЯТИДНЯЧИМ  
ЗАИНТЛЯ  
ЛЯЕНО



B 222

61

# Lecturis

S.

Consilium prelo iterum sub-  
iiciendi has duorum summorum  
Virorum laudationes, a sum-  
mis Viris profetas, mercatori  
librario natum est ex eo, quod  
audierat, desiderari saepe ho-  
die a paedagogis libellos recen-  
tiorum auctorum, de rebus no-  
stri temporis scriptos bene la-  
tine, ut haberent, quod pro dif-  
ficilibus antiquitatis scripto-  
ribus ad facultatem latini ser-  
monis comparandam discipulis  
traderent. In quo novorum  
magistrorum consilio nihil sa-  
ne est quod reprehendas, si res  
ordine et ratione fiat. Ita au-  
tem tum fiet maxime, si vete-  
res classici latini cum recentio-  
ribus prudenter coniungantur.

*Etenim illis omnino neglectis,  
ut nuper quidam voluerunt, ne  
borum quidem qui optimi sunt,  
recte intelligi, nedum cum fru-  
ctu doctrinae et sapientiae legi  
poterunt.*

*Sed haud negandum est, ve-  
terum scripta legendo saepe ti-  
ronis animum ab oratione ab-  
strahi, in tot difficultatibus  
sententiarum ac rerum nimis  
occupatum. Orationem tamen  
nostram formare legendis au-  
toribus illis volumus, non tan-  
tum rerum copias colligere. At  
vero multos videmus magistros  
scholarum, qui nihil nisi voca-  
bula curant interpretando,  
semperque formulas loquendi  
seu phrases crepant, rerum at-  
que doctrinae, ex ipsis fontibus  
petendae, satis incuriosi. Ve-  
rum borum ratione, ut ad ipsam*

eruditionem parum, ita ne ad illud quidem, quod volumus, multum proficitur. Nam orationem cum dico, non vocabula volo intelligi, ad grammaticas leges iuncta, sed elocutionis potius habitum et universae orationis formam figuramque, verbis expressam. Quam quotus quisque iuvenum est, qui intentus explicationi veteris auctoris animadvertat eiusque virtutes persentiat, etiam si operam dederit magistro, qui utramque rationem explicandi vel optime coniungat. Neque id mirum est. In ipsa enim maturitate et aetatis et ingeni raro animus noster duabus rebus ita distinguitur, ut neutra laboret.

Hinc utile putamus, utriusque consilio aptos auctores deli-

gere; alios, unde antiquitatis  
notitia locupletentur discentes,  
alios, in quibus non tam res,  
quam dicendi seu narrandi ar-  
tem spectare adsuescant. Sed  
alterum consilium cum veterum  
plurimi, suo quisque loco, ad-  
iuvent; alteri qui bene conveni-  
ant, paucissimi sunt. Nemo for-  
san illorum ad hunc usum tam  
commendabilis est quam LIVIUS,  
praesertim si quis ab eo narra-  
ta e ROLLINO aliove scriptore  
ad lectionem attulerit. Utilio-  
ra tamen pluribus de causis ad  
id putaverim recentiorum scrip-  
pta, in quibus nulla obscuritas  
rerum legenti offunditur, et  
quae optimorum veterum exem-  
plar aemulantur scribendi cura  
et elegantia. Neque adeo hic  
offenderit nos inopia rerum,  
qua interdum tales libri pre-

muntur, et fastidium creant do-  
ctis, veluti P. MANUTHII Episto-  
lae. Immo facilius et melius in  
bis a tirone orationis nitor at-  
tenditur. Atque reperio etiam,  
huic generi scriptorum ad faci-  
litatem bene scribendi multum  
se debere professos esse eos, qui  
hac ipsa laude excelluerunt.

Sed veniendum est ad id, cuius  
caussa haec prolusimus. Nimi-  
rum propositum primo erat li-  
brario, unum tantum RUHNKE-  
NIANUM libellum typis repe-  
re, quia iam diu rarissimus fuis-  
set. Tunc enim nihil dum au-  
diverat ille de nova eius editio-  
ne, una cum aliis libris nuper  
in Batavis facta. Serius demum  
propter argumenti similitudi-  
nem placuit, HEMSTERHUSII  
Elogio tamquam sociam adiun-  
gere Vitam GESNERI, ab ER-

NESTIO nostro scriptam, et  
quidem non minus latine, hoc  
est, pure et eleganter, quam-  
quam genere paululum diverso.  
Sed praeter hanc laudem alia  
est utriusque libri prorsus in-  
signis, quod saluberrima insunt  
consilia ad recte discendum, et  
ad regenda omnino liberalioris  
ingenii studia. Quapropter non  
dubitamus, quin parabilis haec  
editio grata accidat paedago-  
gis nostris; iuvenibus autem,  
latinae eloquentiae studiosis,  
eam commendamus diligenter,  
praestamusque, his, si sapient,  
HEMSTERHUSIUM et GESNERUM,  
a laudatissimis Viris laudatos,  
valde placituros. Halae Sax.  
d. XX. Sept. clc lcc lxxxvii.

---

**ELOGIUM**

**TIBERII HEMSTERHUSII,**

**AUCTORE**

**DAV. RUHNKENIO.**

---



WILHELM

HAUPTSTADTEN HANAU

MS. 1028

DIE RUHMREICHEN

*Si amittitur bona silentia, id videtur ei, quem  
adversari et opposui. sed si vero nesciret illa  
debet, nesciret agnoscere. sed non solum  
dignus, sed etiam oculi illius, et in omnibus  
qui se vobis intellent, hinc modum; non  
obtemperare possit. *Elogium* Culicem mutis mut*

## *Tiberii Hemsterhusi.*

*mihi autem quibus omnibus sanguineo  
iustus est. sed quibus aliis ut incepit. quibus  
nervis. et ut sit. tunc istud hoc. nihil ad meq.  
**N**ulla facile ars ac disciplina plus vel  
invidiae vel infamiae suscepit, quam  
quae a primario, quod in iudicando cer-  
nitur, munere Critica vocatur. Hacce ali-  
quando incidit in ingenia furiosa, quae  
nullo rationis tanquam freno coerceri pos-  
sent, aliquando in iejuna et angusta, quae  
non caperent tantae rei vim et auctorita-  
tem. Duplex igitur, pro ingeniorum di-  
versitate, inita est Critices exercendae ra-  
tio. Illi, quae commoveri non possent,  
convellebant, et certa incertis conjecturis  
vexabant: hi nihil aliud, nisi materiam e  
libris manu scriptis comportabant, impre-  
bus ipsis et sensibus scriptorum explicandis*

muti, in verbis et formulis ad grammaticam normam exigendis loquaces et rixosi. Vtrique cum sibi Criticorum nomen arrogassent, et, facili plebe literaria, tenuissent; hominum vitia, ut fieri solet, ad ipsam artem traducta sunt, et Critica modo temeritatis et audaciae mater, modo nugatoria syllabarum auceps dici haberique coepit. Quae invidia diutius haesit in Critica, quam in ulla alia disciplina, cui per similem iniuriam effet labes aliqua adspersa. Etenim ceterae artes, magnam partem populares, et communi intelligentiae patentes, facile inveniunt, qui, caussa cognita, calumniam depellant. Critica, plures difficultate et rerum discendarum copia et varietate deterrens, quam delectatione aliqua alliciens ad se et invitans, paucos omni tempore discipulos nacta est, paucos habuit patronos, qui caussam suam cognoscerent, innocentiam tuerentur, dignitatem et gloriam vindicarent.

Cogitanti vero mihi, quae tandem optima effet ratio tam praeclari studii commendandi, et iniuria, qua premitur, libe-  
ran-

randi, nulla commodior et efficacior ocurrat, quam quae perfecti et omnibus numeris absoluti Critici imaginem, ad vivum expressam, ante oculos ponat. Sic enim speramus futurum, ut, quicunque in hoc exemplar inspicerit, quam artem in contemnum vocare ausus sit, in ea liberalis doctrinae omnis fastigium esse featuretur.

Verum, ne cui videar Criticum, qualis nec fuerit unquam, nec esse possit, fingere, exemplar eius ducam ab aliquo illorum, quibus omnes omnia summa in hac facultate tribuerunt. Nec ille longe quaerendus. Adhuc animis, vel dicam oculis nostris inhaeret *Tiberius Hemsterhusius*. Vix dum lacrimae, quas in eius funere profundimus, exaruerunt.

Hic talis ac tantus vir praecipuum inter illos locum tenet, quorum vix singuli singulis seculis in generis humani exemplum nascantur. Itaque, ut mediocri ingenio homines facile patimur cum libris suis occidere, sic contra Hemsterhusii

memo.

memoria conservanda modis omnibus, et aeternitati aequanda videtur. Quanquam vero ad laudem eius magnificentius, et ad communem utilitatem uberiorum futurum erat, si divinae animi, ingenii, doctrinae, sapientiae virtutes, quibus cumulatus fuit, singulatim explicarentur, nos tamen, quibus omnia per se qui infinitum videtur, illum constituimus ex ea maxime parte, qua gloriam suam in primis fundavit, hoc est, ex Critices scientia spectare.

Critica veterum scriptorum libros, tanquam materiam, quam tractet, et in qua versetur, sibi subiectos habet: nec angustis certorum scriptorum terminis septa tenetur, sed per Poëtas, Oratores, Grammaticos, Historicos, Philosophos longe lateque vagatur, ubique iudicium et censuram exercens. Quam provinciam tametsi praecipuo quodam iure tenet, tamen eius fines egreditur, si quando in graviorum disciplinarum auxilium vocata sit. Sane ex quo tempore Erasmus et Beza illam in Theologiam, Cuiacius, aliquique in Iuris prudentiam, saluberrimo instituto adsciverunt, ferme tam frequens est in his disciplinis.

plinis, quam in regno suo. Censendi vero iudicandique munere sic fungitur, ut vera a falsis et supposititiis discernat, fraudes suis vestigiis odoretur et demonstret, obscuris sive rebus sive verbis lumen affordat, depravata corrigat, laudet recta, reprehendat vitiosa. Has Critici partes, tam difficiles, tam graves, qui recte sustinere et tueri velit, duplice praesidio instructus ornatusque esse debet, ingenio acerrimo, et eruditione prope immensa.

Ingenium in omnium artium, etiam leviorum, studiis valet plurimum. Sed ut aliud aptius est Matheſi, aliud Poëtice, aliud aliis artibus, sic Critica quoque sibi depositum proprium et peculiare. Eius autem vis omnis ex duabus animi facultatibus oritur, ex imaginum ante perceptarum celeri instauratione, et ex prompta ac parata iudicandi subtilitate. Finge, Criticum, qualem deformamus, impedito et corrupto scriptoris loco remedium quaerere, et diligenter attende, quibus mentis actionibus ad id, quod quaerit, perveniat. Altera animi facultas varias imagi-

nes

nes ante haustas, quae ad talem locum expediendum accommodatae videantur, ei celeriter et in tempore offert: altera, quid res postulet, atque adeo, quid ex pluribus simulacris animo simul obversantibus diligendum sit, eadem celeritate videt ac decernit. Ergo critica vis maxime iudicatur mentis celeritate, quam Graeci ἀρχήσιον et εὐσοχίαν, Latini sagacitatem, sollertia, ingenii felicitatem vocant. Haec autem sagacitas non in hominis potestate est, non studio, labore, exercitatione comparatur, sed rarum et singulare munus est unius naturae fautricis; licetque adeo, quod Democritus de Poëta dixit, ad Criticum transferre: Criticus non fit, sed nascitur. Tali ingenio praediti cum per raro exoriantur, quis miretur, magnam excellentium Criticorum et nunc esse, et semper fuisse paucitatem? Quod vero diximus, ingenium hac in re plus valere, quam artem ac disciplinam, hoc argumen to intelligi potest. Multi praeclarissimi viri, cum studiorum genere eo, ad quod ab ipsa natura deducebantur, relieto, se ad Criticam contulissent, eruditione sibi pa-

rare

rare conati sunt, quod natura negarat, ingeniique vicarium, artificium quoddam assumferunt. Quorum conatus, noli quaerere, quam infeliciter cesserit. Quanta eruditionis, de Graecis fontibus ductae, copia fuerit in Io. Meursio et Ez. Spanhemio, nemo ignorat, nisi qui ipsam antiquitatem Graecam ignoret. At illi ipsi, cum vim facere naturae, et Criticam exercere instituunt, quam sunt dissimiles sui? Duo praestantissimi viri, N. Heinsius et P. Burmannus, omne studium suum in Poëtis Latinis expoliendis consumserunt, pari uterque eruditione, sed dispari acute sentiendi et feliciter divinandi facultate. Alter igitur Poëtarum Latinorum sospitor dictus est, alter non potuit in tantæ gloriae societatem venire.

Haec vero Critici materies indolesque in Hemsterhusio tanta fuit, ut natura, quid in tali ingenio fingendo posset, in eo potissimum experta esse videatur. Omnes in illo talem oculorum aciem, qualis lynctibus et aquilis tribui solet, mirabantur. Sed profecto mentis acies multo miranda

ma-

magis. Nihil tam abditum erat, tam nihil retrusum, quod eius acumen falleret. Nihil tam depositum ac prope conclamatum, cui non vitam et salutem redderet. Nihil tam artificiose simulatum, quin fraudem facile sentiret, et indicis suis tenereret. Talis tam felicis Critices illustre documentum dedit in Xenophonte Ephesio. Hic scriptor, aetate demum nostra, mendose et negligenter editus in Italia, nativa sua venustate Hemsterhusium invitarat, ut non solum quae quid vitii traxissent, emendaret, sed plurium etiam verborum lacunas de conjectura suppleret. Post Dorvillius V. C. eundem scriptorem iterum ad Codicem Ms. exigi iussit. Quid quaeris? Nullus unquam vates Hemsterhusio reperitus est verior. Nam vetus codex lectio-nes et lacunarum supplementa sic, ut ille divinando restituerat, plerisque locis re-praesentavit.

Etsi vero permagnum Critico praefidium est in mentis vi et sollertia, nemo tamen omnia in eo posita putet. Comparandum est alterum instrumentum, eru-di-

ditio; quae ut parum aut nihil sine inge-  
nio, sic sine eruditione ne perspicacissimum  
quidem ingenium quicquam effecerit. Rec-  
te Crates Mallotes, quem haec ipsa ars no-  
bilitavit, apud Sextum Empiricum, in Cri-  
tico requirit omnis liberalis doctrinae,  
quam Graeci ἐγκυριόποιδείς vocant, sci-  
entiam. Quamobrem si ad Criticam ad-  
spirare velis, ex Cratetis praecepto, ante  
percipiā Grammaticam, non vulgarem  
istam, sed altiorem, habites in Poëtis et  
Oratoribus, peragres latissimum historiae  
campum, mente complectaris universam  
philosophiam, et his omnibus adiungas  
Mathesin, maxime partes illas, quae men-  
tem exacunt ad verum cernendum. Ex  
tanta tot artium ac disciplinarum uberta-  
te Critica demum efflorescit et redundat:  
tali instructu ornatuque eam oportet esse  
comitatum.

Vereor, ne hac rerum disseendarum  
multitudine commemoranda restinguam po-  
tius iuventutis studia, quam incendam.  
Sed quid faciam? Non aliis ad pulcerri-  
mam artem aditus patet, nec aliis gradi-  
bus

bus Hemsterhusius ad id, quod in illa  
summum est, escendit.

Iuvat igitur, non modo quam prae-  
stans et inusitata eius eruditio fuerit, sed  
etiam qua via et ratione ad illam perve-  
nerit, explicare. Quod dum facimus, pars  
vitae Hemsterhusiana, ut ad cognoscendum  
iucundissimae, sic ad imitandum utilissimae,  
breviter attingenda erit.

Puerulus \*) literarum initia tum ab  
idoneis magistris percepit, tum a patre,  
Francisco Hemsterhusio, qui artem saluta-  
rem, quam profitebatur, cum politioribus  
literis coniunxerat, et peregrinandi studio  
ductus omnem fere Europam peragrarat.  
Vis ingenii sic ante annos in Hemsterhu-  
sio nostro cluxit, ut multi timerent, ne

vi-

\*) Natus est Groningae t. Febr. 1685. Ab  
anno 1704. Philosophiae et Matheos Pro-  
fessor Amstelodami: ab a. 1717. Linguae  
graecae, post etiam Historiae patriae Profes-  
sor Franequerae: ab a. 1740. ejusdem Lin-  
guae et Historiae Professor Leidae. Obiit  
d. 7. April. 1766.

<sup>non</sup> vitalis puer esset, nevet tam praecox ingenium ad frugem perveniret. Quae sollicitudo vana fuit. Nam eundem mentis vigorem integrum et illibatum pertulit ad extremam usque senectutem, hoc est, ad aetatis annum octuagesimum secundum, qui vitae ultimus fuit. Una memoria, quanquam raro, lababat, ubi proprium hominis nomen subito edendum esset.

Decimum quartum annum agens, qua aetate plerique in tirociniis haerent, iam versabatur inter cives Academiae Groninganae, et praestantissimos quosque bonarum artium magistros audiebat.

Socrates apud Platonem omnia praeclara de Isocrate adolescentे auguratur, quod natura philosophia quaedam inesset in eius mente. Simillimam Isocraticae indolem Ioannes Bernoullius, Mathematicorum longe princeps, in Hemsterhusio adolescentulo, simul atque eum in disciplinam recepisset, sagacissime perspexit. Itaque nihil antiquius habuit, quam ut philosophiae femina, quae in eius mente laterent,

pro-

proliceret, et recta cultura firmaret. Nec Hemsterhusius Bernoullii augurium fefellerit. Nam tanta celeritate altiorem Geometriam percepit, et in intimos philosophiae recessus penetravit, ut magister fateretur, se, quem cum eo compararet, inter discipulos habere neminem. Atque haud scio, an multum fallamur, si altos illos et magnificos de rebus divinis humanisque sensus, qui postea se omnibus Hemsterhusi dictis factisque protulerunt, magnam partem a Bernoulliana disciplina repetamus. Ipse quidem, Bernoullium divino munere sibi praceptorum obtigisse, cum gudio, quod vultu et oculis prodeatur, fateri solebat.

Ita cum aliquot annos in Academia patria exegisset, Leidam venit, itivitatus praecipue inclyta fama Iacobi Perizonii; qui cum ceteras humanitatis partes egregie tradebat, tum veterem historiam sic, nihil ut supra fieri posse videretur. Leidae tum casu quodam disiecti erant publicae Bibliothecae Codices MSS. Horum in ordinem redigendorum cura ab Academiae

Cu.

Curatoribus demandatur Hemsterhusio.  
 Quod Curatorum de tantulo adolescente  
 iudicium tam felix omen in posterum tem-  
 pus faciebat, ut nemo unus dubitaret, quin  
 is aliquando Iacobo Gronovio in Graeca-  
 rum literarum Professione successorus es-  
 set. Verum, vacante illa provincia, res  
 secus cecidit, non Curatorum voluntate  
 alienata, sed artibus eorum, qui, ne lumi-  
 nibus suis obstrueretur, timerent. Data  
 est Professio Havercampo, si minus Aca-  
 demiae, at ipsorum rationibus accommo-  
 dato. Sed haec laterē, melius est, quam  
 cum auctorum ignominia et dedecore in  
 lucem proferri. Leidae cum Hemsterhu-  
 sius studiorum spatia decurreret, vix dum  
 expleto decimo nono aetatis anno, hono-  
 rifice Amstelodamum invitatur, ut iuven-  
 tuti studiosae viam ad Mathesin et Philo-  
 sophiam praeiret. Quis est, qui talem  
 provinciam nactus, non totam studiorum  
 rationem commutasset? non humaniores  
 literas, veluti crepundia, abjecisset? Talis  
 stultitia in alios, ab angustis doctrinae com-  
 pendii profectos, cadere poterat, in Hem-  
 sterhusium non poterat, qui praeclare

sci.

sciret, quo societatis vinculo hae disciplinae inter se devinciantur. Ac reperit Amstelodami, quorum consuetudine elegantiorum literarum studium vehementer aleretur.

Ornabat tum illam urbem ingeniosus Poëta, et disertus Poëtarum Latinorum interpres, Janus Broukhusius. Mox tempus aliquod ibidem degebant Stephanus Berglerus et Ludolphus Kusterus, ille veteris philosophiae scientia, hic critica facultate, uterque Graecis literis tam excellens, ut ambiguum posteris reliquerint, uter utri ea laude praestaret. Horum amicitiam Hemsterhusius appetebat cupidissime, tenebatque eo constantius, quo magis ingenium talium virorum sermonibus ad omnis elegantiae sensum acuebatur. Hac tam felici contagione Broukhusius in eum transfudit Propertii, Kusterus Aristophanis amorem, utilissimum deinceps utrique Poëtae futurum. Sed iam ante intervenerat, quod Hemsterhusium cum Graecis Musis artius coniungeret. Destituerat vir doctus Iulii Pollucis editio-

nem,

nem, quae Amstelodami parabatur. Quae-  
ritur, qui deslitas partes excipiat. Itur  
ad Hemsterhusium. Is, Graevii auctorita-  
te impulsus, operis curam suscipit, et com-  
mentatione, iuvenili illa quidem, verunta-  
men iuvenis Hemsterhusii, eruditissimorum  
hominum oculos animosque in se conver-  
tit. Ipse auctor (quis enim tali aetate se  
ipsum contemnat?) de hoc opere satis be-  
ne sentiebat. Brevi post a Richardo Bent-  
leio, Britanniae Aristarcho, literas accipit,  
quibus opera Polluei navaria eximie lauda-  
retur. Sed eadem literae Bentleianas emen-  
dationes in Comicorum loca, quibus Pol-  
lux a se dictis fidem et auctoritatem con-  
ciliat, complectebantur. In iisdem Comi-  
corum versibus restituendis Hemsterhusius  
quoque multum studii consumserat, pulcre  
intelligens, summam rei in illis verti.  
Enimvero, lectis animadversionibus Bentle-  
ianis, videt, inanem operam suam fuisse,  
alterum omnia divinitus expediisse. Quo  
tum animo Hemsterhusium fuisse putas?  
Ita conturbatus est, ita sibimet ipse disipli-  
cuit, ut Graecas literas in perpetuum re-  
pudiare statueret. Nec, per mensum unum

B

et

et item alterum, ausus est scriptorem Graecum attingere. Hoc si alteri evenisset, quam astute id dissimulasset, quantam cautionem et diligentiam adhibuisset, ne in vulgus emanaret? At ille, o callidum hominem! id narrare discipulis, et crebris sermonibus usurpare solebat. Nescio, quid alii sentiant. Mihi nunquam maior, quam cum haec de se ingenue fatebatur, visus est Hemsterhusius. Nam acer animi mortus indicat, quos quam altos et verae gloriae cupidos spiritus pectore gesserit; erroris confessio, quantam maximarum rerum fiduciam haberet. Eleganter et vere Celsus de simili Hippocratis confessione ait: *Levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit simplex veri erroris confessio.*

Mox tamen Hemsterhusius, cum dolori successisset cogitatio, quam inique se adolescentem cum Critico veterano, eodemque omnium principe comparasset, et secum in gratiam rediit, et cum literis Graecis. At Bentleianae admonitionis haec

vis

vis fuit, ut apud animum constitueret, non ante se in hunc praecipitem locum committere, quam artium omnium paene infinitam copiam mente et cogitatione comprehendisset. Nec alium, nisi illum ipsum monitorem suum, sibi imitandum sumisset. Hunc enim maxime admirabatur, hunc in oculis ferebat, hunc omnibus memoriae nostrae Criticis anteponebat, ne dissimulans quidem offenditionem, si quis talis viri magnitudinem, quam consequi nulla ratione posset, per invidiam allatraret.

Inito igitur eruditionis locupletandae consilio, veteres, inde ab ingeniorum fonte, Homero, scriptores pertinaci et indomito studio legit: legit? immo vero excerpit, et in horrea sua congescit, ut, quicquid vel ad utriusque linguae rationem, vel ad historiam, vel ad ritus et mores gentium, vel ad priscam sapientiam pertineret, id paratum esset, et, si res postularet, inde statim deponi posset.

Quam vero consuetudinem ipse in legendo tenuerat, ut a veterissimo quoque

scriptore gradum faceret ad eum, qui proximus esset aetate, eandem aliis etiam atque etiam commendabat. Nam primum, ut alias opportunitates omittam, \*) si hac ratione progrediare, non verborum tantum, sed etiam significationum, singulis verbis et formulis attributarum, tanquam tempora certius constituas: cuius rei diligens observatio in linguis omnibus valet plurimum. Deinde satis constat, nihil vel bene cogitatum esse, vel bene dictum ab antiquioribus illis, qui recte cogitandi seribendique velut lex et norma probantur, quod non sit variis modis imitata posteriorum sollertia. Cuius imitationis venustatem nec sentias, nec intelligas, nisi fontem, e quo profecta sit, cognoris. Thucydidis, ut hoc utar, reconditas exquisitasque sententias Hemsterhusius ita tritas notatasque habebat, ut, quid Polybius, quid Dionysius Halicarnassensis, quid Plutarchus, quid alii inde ad imitationem traxissent, e vestigio indicaret. Ex quo instituto quot quam praeclarae difficiliorum locorum vel in-

\*) Vide quae diximus Praef. ad Timaei Lex. Platon.

interpretationes natae sint, vel emendationes, facile est ad existimandum.

At qui tandem sunt illi scriptores, quos vir summus futuro Critico maxime necessarios, quos legendos et ediscendos putarit? Quasi vero, dicet aliquis, dubium sit, quin Critici in Poëtis, Oratoribus, Grammaticis et Historicis commorentur.

Hic locus me admonet, ut iustum meum, vel Hemsterhusii potius, dolorem explicem. Veteres hoc humanitatis studium sapientissimo consilio tam late patere voluerunt, ut et mathematicas artes, et philosophiam omnem compleæteretur. Veterum auctoritatem secuti sunt viri immortales, qui seculis decimo quinto et decimo sexto, pulsa barbarie, pristinam bonis literis dignitatem restituerunt. Verum brevi post exorti sunt literatores, qui, finibus illis latioribus per summam ignaviam contrahendis, sibi servarent Grammaticos, Oratores, Poëtas, Historicos, valere iuberent Mathematicos et Philosophos. Sic humanitatis disciplina, rebus magnum partem

ex

ex ea sublatis, prope tota facta est disciplina verborum. Ex eo tempore philosophi tales literatores cum arte sua contemserunt: literatores de humaniorum literarum contemptu e cathedris declamarunt, nec intelligere ullo modo potuerunt, sua culpa literarum dignitatem concidisse. Hos si ad maiorum instituta revocare conemur, fortasse operam perdamus. Sed profecto, si rectis consiliis locum dare vefint, una tanum superest ratio, qua ei literas et semet ipsos a contemptu vindicare possint. Revellant terminos humanitatis, quos ignavia constituit, recipient in artium chorūm, quas inde ciecerunt, et, magni Hemsterhusii exemplo, literarum studium cum Matheſi et Philosophia coniungant.

Geometria animum a sensibus ad ea, quae mente contuemur, intelligenda traducit, acutique in vero iudicando. Et quis, quam dubitabit, quin, qui hac disciplina ingenium subegerit, etiam in literis nostris, acutius cernat iis, qui nunquam attigerint pulverem eruditum? Hemsterhusio quid Geometria profuerit, sciunt, qui vel scrip-

scripta eius cognorint, vel sermones. Quicquid dicebat, quicquid literis mandabat, etiam in critico genere, planum omnibus faciebat, quam adsuetus esset geometricae subtilitati. Nihil sumebat temere, sed a certo cognitis et perspicuis via et ratione progrediebatur ad ea, quae inde necessaria consecutione efficerentur.

Sed alia quoque Mathesis pars est, quam Critico dedecori sit ignorare. Haec est Astronomia, praesertim antiqua, sine cuius scientia nec Graeci, nec Latini Poëtae, qui inde multa carminibus suis ornamenta petierunt, plane perfecteque intelligi possunt. Quo maius studium vir eximius ad eam cognoscendam attulit, nec quamvis mitis et moderatus aliorum censor, sibi temperare poterat, quin suaviter rideret recentiores Poëtarum interpretes, qui, ubi quid ex hac doctrina explicandum est, vel turpiter haereant, vel ioculares errores committant.

Philosophiae studium eo flagrantius erat, quo magis ab ipsa natura ad illam im-

impellebatur. Per eius vero partes omnes sic vagatus est, ut modo versaretur in sancto Pythagorae recessu, modo in Academia Platonis, modo in Aristotelis Lyceo, modo in Zenonis porticu, modo in hortis Epicuri, ubique cum admiratione quadam permulta observans, quae aetatis nostrae vanitas audet ut recentis inventa iactare. Plerique veteris philosophiae studiosi vel partem eius delibabant, vel in locis amoenioribus, maxime in eo de moribus, comminorantur. At Hemsterhusius ingenii sui magnitudini consentaneum iudicabat, partem omnium difficultiam, quae Metaphysicam complectitur, pervestigare. Nihil facile abstrusius reperias Platonis Parmenide, quo dialogo doctrina de *Ideis* explicatur. Ab eius lectione vir magnus semel, iterum, tertium idem abierat, qui venerat. Verum non prius conquevit, quam quarta lectione instituenda abditos philosophi sensus eruisser, ipsa difficultate non hebetante, ut fieri solet, sed acuente studium intelligendi. Nec satis habebat veteres cognosse, sed cum Platone Leibnitium, cum Aristotele Lockium, cum aliis  
alios

alios coniungebat, ut, qui sermones cum illo de vereri philosophia contulisset, nihil nisi veteres, qui de recentiori, nihil nisi recentiores, legisse putaret. Ceterum in Metaphysica quae vera sint, et in quibus certo consistere possis, apud veteres se reperiisse omnia dicebat. Novarum opinionum subtilitatem ut facile agnoscebat, sic illarum levitatem et inconstantiam vel hoc argumento demonstrabat, quod, quoties novus Metaphysicus existat, toties prior loco pellatur.

Cum autem varias veterum philosophorum familias, earumque decreta cognosceret, historiae philosophicae tortem dolebat, quae, rametsi Criticis uberrimam ingenii exercendi materiam praebat, tamen ad nullam dum criticam severitatem exacta sit, involantibus fere in illam, quasi in vacuam et caducam possessionem, compilatoribus, qui nec ingenio valeant, et literarum adeo rudes sint, ut e vitiosis antiquorum philosophorum versionibus sapere cogantur.

Quan.

Quanquam ne gentium quidem historia, cuius usus latius patet, meliore ipsi conditione esse videbatur. Haec quantum obscuritatis vel a vetustate, vel a scriptorum dissensu, vel ab aliis caussis traxerit, quam corrupta sit per partium studium, fraudem, superstitionem, et sciunt omnes, et fatentur. Veruntamen quotus quisque Criticorum in hunc patentissimum campum excurrat? quotus quisque adhibet Criticam, quasi veri obrussam? Signum ad hanc rem capessendam sustulerat Iosephus Scaliger in Opere *de Emendatione Temporum*, et altero *Eusebiano*, utroque aeterno, sed laudato magis, quam lecto. Perpaucos, qui per eius vestigia ad eandem laudem contendenter, inventos scimus. Quo magis Hemsterhusius et ipse historiam critica ratione tractabat, et disciplinae suae alumnos ad eandem rationem amplectendam incendebat, exemplum, ad quod studium dirigerent, iis proponens severissimum reliquorum historicorum censorem, Polybiūm, cuius tanta admiratione captus erat, ut, si fieri posset, unum eius librum de-

per-

perditum plaustris homiliarum Sanctorum  
Patrum redimere veller.

Antiquitatis eruditae, hoc est, Graeciae et Romanae, studium non modo ad veterum scriptorum et historiae intelligentiam referebat, verum etiam eo, ut ingenium, contuendis antiquae artis miraculis, acueret ad sensum elegantiae et venustatis, quae talibus operibus inesset. Nec quicquam vel cupidius, vel intelligentius spectabat, quam veteres gemmas, nummos, vasas, anaglypha, statuas: cuius rei facultatem ipsi quotidie dabat sacerd Iacobi Wildii museum, priscae artis reliquiis referatum. Hanc animo insidentem pulcri et recti speciem ubi ad recentiorum artificum opera transtulisset, nemo reperiebatur, qui non solum de pictura et statuaria nostrae aetatis, sed etiam de architectura, aliisque eiusmodi artibus elegantius iudicaret. Ac saepe mirabatur, oculos vulgo per pudendum negligentiam ad nullam rem erudiri, cum aliae corporis partes, quae minus praestantes sint, et minus animo oblectamenti praebant, diligenter excolantur, au-

res

res ad concentus musicos recte sentiendos, manus et pedes ad concinnum et decentem motum edendum. Auctor igitur erat discipulis suis, ut linearis picturae, in qua artium, quas diximus, fundamenta sunt, matre operam darent.

Satis diximus de immensa rerum copia et varietate, quam mente complexus est Hemsterhusius. Verum ad rerum intelligentiam nullus aditus patet, nisi per exquisitissimam scientiam linguarum, Graecae praesertim et Latinae. Hic quid me attinet dicere, eum longa et accurata meditatione consecutum esse, ut Graecae linguae nativam indolem, proprietatem, et arcana omnia teneret? Notior res est et testatior, quam ut pluribus verbis explicanda esse videatur. Itaque complector brevi, et, non exaggerandae rei caussa, sed simpliciter et vere hoc dico, Hemsterhuium Graecarum scientia literarum omnino omnines, qui a renatis literis excellenter in iis versati sint, ipsum etiam Isaacum Casabonum, cui doctorum hominum consensus

pri-

primas deferre solet, longo post se inter-  
vallo reliquisse.

Quod si magna ingenia non nisi no-  
varum rerum inventione metiamur, talem  
quoque sui mensuram vir summus, in hoc  
ipso linguarum studio, praebait, invenien-  
da verissima Originum Graecarum ratione,  
singulari linguae Graecae, adde et Latinae,  
praefidio et ornamento. Huius analogiae  
tanquam filo ductus, simplicissimas verbo-  
rum formas, quae binis vel tribus literis  
constarent, et una cum iis natus significa-  
tiones indagavit, formas omnes et flexio-  
nes ad certam rationem revocavit, ex pri-  
mariis notionibus secundarias, et conse-  
quentes elicuit, earumque non solum cogni-  
tionem, sed etiam migrationes ostendit,  
commenticias anomalias, quibus Gramma-  
tici omnia perturbassent, explosit, denique  
tenebras linguae per tot secula offusas ita  
discussit, ut, qua lingua nulla est neque verbis  
neque formis copiosior, eadem iam nulla re-  
periatur ad discendum facilior. Sed huius  
rei subtiliorem et exemplis confirmandam  
explicationem non capit popularis scriptio.

Gra-

Gratulemur potius aetatis nostrae felicitati, quae, quod maiores nostri optarunt magis, quam sperarunt, id non tantum in Graecis, verum etiam in Orientalibus, uno tempore et inchoatum et consummatum vidit. Etenim quod analogiae lumen Hemsterhusius linguae Graecae, id eodem tempore Orientalibus intulit Hemsterhusii civis, aequalis, condiscipulus, collega, amicus, unicus literarum, quas profirebatur, vindex, Albertus Schultensius.

At dicet aliquis eorum, qui nolunt eundem hominem pluribus rebus excelle-re: sint ista, sicut vis: habuerit Hemsterhusius Graecarum literarum scientia parem neminem. Sed quid de literis Latinis dicas? Earum certe regnum penes alios erit. Ego vero non dubitem contendere, eum Latine doctissimos non modo aquafasse, sed, quod adiumenta quaedam haberet, nec cognita illis, nec usurpata, superafasse. Recte vir magnus statuebat, Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur.

Quod

Quod cum sibi idoneis rationibus persua-  
sisset, eandem Latinae, quam Graecae,  
operam dedit, atque adeo, quoniam eius  
proprium erat, nihil mediocriter scire,  
talem Latinae, qualem Graecae, facultatem  
consecutus est. Dicam, quod sentio, et,  
ut arbitror, dicam vere: Latinae linguae  
origines nemo mortalium ante Hemster-  
husium recte cognovit. Viderant Varro  
et alii Romani, multa ex lingua Graeca  
in suam venisse. Aliquanto plura, quorum  
origo veteres fefellerunt, ex eadem lingua  
repetierunt Scaliger et Salmasius. Sed ad-  
huc dubia lux erat. Enimvero, inventa  
Hemsterhusii ingenio Graecae linguae ana-  
logia, simul etiam Latinae ratio diluxit,  
patuitque clarissime, quod erant pauci sus-  
picati, totam fere Latinam linguam ab  
Aeolica fluxisse. Restat, fateor, pars quae-  
dam, quae per barbaras gentes invecta vi-  
deatur. Verum aut fallor, aut exorietur  
ali quando vir doctus et ingeniosus, qui,  
Hemsterhusiana analogia adiutus, eam quo-  
que partem ad Graecam originem revocet,  
planissimeque demonstret, omnem Lat-  
nam

nam linguam pulcrae matris Graecae pulcram filiam esse.

Sed mittamus origines. Quantum Hemsterhusio praesidii esse debuit in Graecae linguae scientia ad Latinos scriptores rectius intelligendos? Constat inter omnes, scriptores, quos diximus, maxime Poetas, Graecam formam singulis prope verbis expressisse, et innumerabiles lepores venesque ex Graecis fontibus nunc apertius, nunc occultius derivasse. Nec M. A. Muretus dicere dubitavit, eos, qui *Graeci sermonis expertes sunt*, ne Latine quidem scripta penitus percipire posse. Iam si cogitatione tibi fingendus sit harum elegantiarum interpres, an doctiorem Hemsterhusio reperire possis? Ipse vir summus se in Latinis intelligendis ita a Graecis adiuvari sentiebat, ut interdum negaret, Poetas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent, nominatim Propertium et Horatium, Graece imperitis valde placere posse. Adeo multa, quae venustissima et exquisitissima sunt, eorum sensum intelligentiamque fallere. Omnibus igitur modis tuebatur bene a

maio-

maioribus constitutam rationem, qua utriusque linguae studium coniungeretur, ab eaque non semel descitum esse dolebat. Sub ipsa Academiae incunabula Leidae boinas litteras docuit Iustus Lipsius, Latinae linguae in primis peritus, Graece vix mediocriter doctus. Is dicere ausus est, Graecas litteras homini eruditio decoras esse, necessarias non item. Quod stultissimum dictum Isaaco etiam Casaubono, \*) quo non fuit lenioris naturae Criticus, vehementer bilem movit. Sed bonum factum, quod tam perniciosa literis opinio nullas radices egit. Nam mox tanquam coelo missus Iosephus Scaliger, cui Batavi prope omnem ingenii cultum, quem ex eo tempore ceperunt, si grati esse velint, acceptum referre debent, Scaliger igitur cum ceteras ingenuas artes, tum graecas litteras, earumque cum Latinis coniunctionem, in his regionibus fundavit. Scaligerana disciplina per Grotios, Heinsios, Gronovios, Graevios, et alios usque ad patrum nostrorum memoriam

\*) Vide Casauboni Epistol. 291 et 294 et Lipsii Epist. 356. in Syllog. Burm. T. 1. p. 376.

riam propagata est. Tum rursus plerique literatores, Graecis vel neglectis, vel leviter delibatis, unos scriptores Latinos colere et exornare coeperunt. Altero ergo Scaligero optis erat, qui Musas Graecas fugam parantes sisteret, atque iterum cum Latinis artissimo foedere consociaret. Is fuit Hemsterhusius, quo bonarum literarum tutelam suscipiente, brevi tanta rerum commutatio facta est, ut Athenae in Bataviam commigrasse viderentur, nec tamen quicquam de summo Latinarum literarum studio remitteretur.

Sed Latine quam doctus fuerit Hemsterhusius, etiam scribendi genus declarat, purum, emendatum, luminibus frequens, bene vinclatum, in primisque proprietatis studio et verborum delectu commendandum. Una orationi facilitas deest, non comparaanda illa, nisi saepe multumque scribendo: cuius rei facultatem raro dabat Graecarum literarum Professio. In iuvene, velut in laetis herbis, se profundebat luxuries quaedam, quam postea ratio et anni depaverunt.

Hacte-

Hactenus virum egregium vidimus Graeciae Latique monumenta ita tractantem, ut nunquam illa de manibus depo- neret. Quo studio quam immensas eruditio- nis opes sibi compararit, supervacuum sit dicere. Eas cum primum in animadver- sionibus ad Lucianum protulisset, homines eruditos in stuporem et admirationem ra- puit, expressisque omnibus confessionem hanc, ut dicerent, nihil simile ullam aeta- tem in hoc genere vidisse: magnam qui- dem copiam in Salmasii libris esse; sed ibi temere faccio fundi, hic omnia cum acerbo delectu, prope in Mathematicorum mo- dum, explicari.

Atque his cum ingenii, tum erudi- tionis fundamentis, tam firmis, tam alte positis, tandem Hemsterhusius verae et le- gitimae Critices velut aedificium super- struxit. Sed critica disciplina quomodo usus sit, non alienum fuerit, in eorum gratiam, qui eius vestigia persequenda pu- tent, paucis exponere.

Cum scriptori sive Graeco, sive La- tino crimin suam impetrare constituisse,

primum iustam cum eo familiaritate in contrahebat, hoc est, cum res ipsas, tum verba, similibus locis inter se comparatis, quanta maxima fieri poterat diligentia, cognoscebat, recte iudicans, sui quemque scriptorem optimum interpretem esse, et, qui non saepius totum scriptorem uno tenore legisset, eum in emendando explicandoque turpiter errare. Tali notitia contracta, omnia ad certam rerum sermonisque normam exigebat, difficilis, suspicax, semper verens, ne quid sibi fallacie vel a librario, vel ab interpolatore strueretur. Tametsi quis poterat fallere illum sensum et natura sagacissimum, et multo literarum rerumque usu callidissimum? Tenebrio nobili scriptori foetum suum subiecerat. Statim fraudem certis vestigiis tenebat. Versificator magnorum Poëtarum versibus furtim interposuerat suos? Spurios obelo configebat. Librarius lectionem corruperat, vel sciolus corruptam fucarat? In promtu erant omnes veri indagandi viae.

Sed quamvis summam ingenii fiduciam habere potuisset, tamen Codicum MSS, fide  
in  
 proposito

inprimis nitebatur, et, quod huius disciplinae expertibus mirum videatur, ex eorum vel contaminatissima scriptura pulcerrimas lectiones eliciebat. Nosse modos permutandorum in libris priscis verborum, utile putabat: posse enim tardiora ingenia talibus adminiculis sublevari: sed nimiam in his diligentiam contemnebat, docens hoc etiam argumento, parum inde utilitatis redire, quod, ut quisque plurimum operae in librariorum aberrationibus notandis posuisset, iisque margines librorum opplevisset, ita nullam magnopere Critices laudem invenisset. Vero Criticorum ipsius sententiae, et sermonis genium bene perspectum, facile id, quod res postulet, suppeditare. Hic etiam locum habere illud Afinii Pollionis: Male eveniat verbis, nisi rem sequantur: vel illud Horatii, ex Afiniano expressum:

*Verbaque provisam rem non <sup>in</sup> vita  
sequentur.*

Sed duos in primis scopulos, multorum naufragiis infames, et ipse fugiebat,  
et

et alios fugere monebat, temeritatem et superstitionem. Furorem iudicabat, quod non intelligas, statim urere et secare, amentiam, aegri capitis somnia in contextum invehere, abolita veterum librorum scriptura. Nam, si hoc modo grassari liceret, brevi futurum, ut calamitas, quam Gothi et Saraceni bonis libris importassent, p[ro]p[ter]e hac levis et tolerabilis videatur. Quamobrem in locis desperatis, ubi nulla ratio esset difficultatis expedienda, medicinam ab integrioribus libris expectandam, et omnino nihil in contextu, nisi vetustarum membranarum auctoritate, movendum censebat, ne Bentleio quidem veniam dans licentiae, quam sibi in Manilio recensendo summis.

At vero, qui nullum audaciae locum dabat, non minus repudiabat animal religionem, quae se imperitis modestiae nomine commendare audet, et semper vulgatae, quamvis futulis et absurdae, lectio[n]is patrocinium profitetur. Sed quae, malum! est lectio, quam tantopere iactant, vulgata? Num ex vetustis et spectatae fidei libris

libris profecta? Num certis emendandi legibus constituta? Minime. Illa est \*), quam in suo quisque libro reperit: quae, ut aliquando veteres et bonos Codices autores habeat, saepius tamen e libris vitiosis et interpolatis, immo ex editorum coniecturis, fluxit. Adeo, quid defendant, non intelligunt homines inepti.

Sunt alii, faciliores illi quidem in lectionibus, quae e membranis ducantur, admittere, sed iidem in Criticorum emendationibus probandis difficiles et duri. Qui ubi periculo faciendo deprehenderunt, se non esse eos, qui in critica ratione excellere possint, in eam partem deferuntur, ut omnium, quae ingenio tententur, se vindices ferant. Ac temerarios quidem confidentium ingeniorum impetus refutari, veterumque scriptorum monumenta sarta tecta conservari, quis, qui bonas literas amet, non gaudeat vehementerque laetetur? Verum in hoc tam salutari instituto frequentius obtrectatio, quam aequitas et veri studium, versatur. Nec obscurae

\*) Vide Cl. Ernesti Praef. ad Tacitum.

scurae sunt talis iniquitatis caussae. Nam, ut sumus homines, quanto praestabilior et magis experenda ingenii laus est, tanto vehementius ei invidemus. Illi igitur, cum facile sentiant, se, si laus omnis felicitati ingenii tribuatur, iacere, et vix honestos esse posse, statim se parant ad Criticorum inventa ratiunculis quibusdam convellenda, moliuntur, sudant, misere se torquent, ut loco depravato potius quam cunque sensum affingant, quam felix in vero inveniendo ingenium laudent. Ex qua obloquendi libidine, incredibile dictu est, quot quam durae et contortae vitiosorum locorum interpretationes manarint; si interpretationes dicendae sunt, quae scriptorem nescio quas ineptias dicere cogunt. Talibus vindiciis Hemsterhusius ita offendebatur, ut illis etiam doctam aliorum audaciam praeferret. Sed longe optimum et tutissimum censebat, medium sequi, quod tum a temeritate, tum a superstitione esset sciundum.

Etsi vero vir magnus, usu sensuque edocitus, praeclare sciebat, Icaris non esse

ap.

aprandas alas, hoc est, iuvenes non temere ad Criticam adducendos esse, tamen sagacioris indolis adolescentes mature huius artis veluti gustu quodam imbuebat. Quorum vires, ut erat acer et perspicax ingeniorum existimator, ante sic explorabat, primum, ut eos iuberet cogitate meditanteque legere illustrem aliquem veteris scriptoris locum, v. c. Livianam praefactiōnem, vix imitanda arte conscriptam, et post, quid in tali loco maxime animum affecisset, quid maxime placuisset, sibi referre. Tum, ubi linguae scientiam et pulcri sensum sibi probassent, in scriptore, ad talis aetatis captum accommodato, locum demonstrabat, qui vitium haberet nemini animadversum, idque investigare iubebat. Reperta corruptela, quam reperi-  
re interdum difficilius est, quam corruptis mederi, praesertim ubi mendoza scriptura tolerabilem et a re non abhorrentem sensum efficiat, reperta, inquam, corruptela, lene et blandum ab ingenio medium postulabat. In quo ut eos, qui nullum dum Critices usum haberent, sublevarer, ipse interdum vias quasdam, quae ferre

ferre ad verum inveniendum possent; indicabat. Si rem acutetigisses, candide plauderet sollertiae tuae, et acerrimum laudis stimulum adhibebat: sin minus, suam ipse emendationem promebat, ut quaerendi et coniectandi finis fieret. Hac ratione usurpanda vir summus non solum discipulis suis facultatem dabat Critices cognoscendae, sed eosdem etiam consuefaciebat in legendo iudicii severitatem adhibere, et semper animum, quid intelligat, quid minus, interrogare. Et miramur, ex eius disciplina plures acutioresque Criticos, quam e cuiusquam ante illum, prodiisse? Nolim singulos ambitiosos commemorare. Facile, qui sint, velut propria quadam nota, intelligendi et iudicandi subtilitate cognoscuntur. Unum tamen silentio praeterire non possum, germanum in primis Hemsterhusii discipulum, L. C. Valckenarium. Hic enim, quam a magistro accepit disciplinam, ante Franequerae, nunc Leidae, ita tueretur et propagat ingeniosis feliciter formandis, ut, Hemsterhusio de vita sublato, nunquam defuturi sint, qui literas Hemsterhusiana ratione colant. Hic utriusque lin-

linguae analogiam, quam vir immortalis impertiit quidem discipulis, sed literis mandare neglexit, ita quasi per manus tradit aliis, ut, etiam si nemo illam literis prodat, tamen ad seram posteritatem perventura videatur.

Quemadmodum vero aliis disciplina, sic aliis profuit salubri consilio suppeditando. Libenter et ingenue fateri solebat vir summus, P. Wesselingius, hunc sibi studiorum reete instituendorum auctorem fuisse. Is Hemsterhusio collega datus, non prius Franequeram, quam in intimam eius amicitiam venit: quae ex illo tempore tam sancte et constanter culta est, vix ut aliud par amicorum coniunctius vixerit. Erat iam tum in Wesselingio magna et incredibili studio parta doctrinae copia, sed aversus a critica ratione animus. Verum cum Hemsterhusius ei crebris sermonibus demonstrasset, nullam eruditionem, quamvis variam et copiosam, esse veram et accuratam sine critica disciplina posse, totam studiorum rationem commutavit, et post illa ipsa arte, quam an-

te

te oderat, nomen suum immortalitati commendavit.

Paullo ante, quantum satis est, diximus de ea Critices parte, quae in depravatis corrigendis versatur. Sed eiusdem etiam artis est, veterum scriptorum obscuros sensus aperire: in quo, praeter vim iudicandi, maxime cernitur illa nullis terminis circumscripta eruditio. In hac vero interpretandi ratione, quanquam alio modo, non minus vulgo, quam in illa emendandi, peccatur. Saepe et Hemsterhusii et aliorum querelas audivimus, cum dicerent, auctorem, quem quis interpretum enarrandum suscepisset, onerari iis, quae ad quemvis alium auctorem scribi possent, explicari, quae nemo sibi explicari velit, in difficilioribus destitui lectores, res et sententias negligi, nihil nisi loquendi formulas enarrari, et ne illarum quidem notiones ad normam, quam perfectus Criticus, I. F. Gronovius dedisset, distinete et enucleate tradi, sed temere misceri et confundi. Hemsterhusius vero ipsum scriptoris argumentum amplexus, obscuriorum lo-

locorum tenebras modo ex historia et antiquitatis memoria, modo ex temporum ratione, modo ex interiore philosophia, modo ex aliis artibus dispellebat: fontes, unde quidque haustum esset, locos aliorum auctorum, quos scriptor, quem tractaret, vel imitando expressisset, vel in transitu respexisset, demonstrabat: exquisitor verbi aut formulae vis si enarranda esset, non ille diversarum significationum, ut ita dicam, confinia confundebat, sed tenuia et aliorum sensum fugientia discrimina tam perspicua et certa ratione definiebat, ut in his etiam geometricam elegantiam facile cognosceres.

Animadversiones eius habent beatam quandam et felicem rerum ubertatem. Nec tamen quicquam in illis alieni est, vel longius arcessiti: Omnia et apte et suo loco dicuntur; ut mirari subeat, tam longas animadversiones scribi potuisse. Sed talis copia facilis erat ei, qui omnes interiores Graeciae Latiique receitus teneret. Nemultra: habent eius commentarii in Aristophanem, Lucianum, Xenophonem Ephesium,

sium, Hesychium, Thomam Atticistam, alios, verissimam bene interpretandi disciplinam, qua non extat exemplum perfectius. Quo vehementius et iustius dolemus, Coain Venerem, Lucianum dico, ab eo non esse absolutam, omninoque pauciora, quam exspectare par erat, e perenni et inexhausto doctrinae fonte ad communem utilitatem permanasse.

Huius rei quae caussae fuerint, saepe numero quaeri solent. Evidem mihi videor reperisse has duas. Primum vir sumimus tanto legendi meditandique studio tenebatur, vix ut inde avelli posset, et ad ea, quae per nimis multa, ut nobis quidem videtur, adversariorum volumina sparserat, digerenda traduci. Ne ipse quidem diffitebatur, se ad labores, praesertim iussos, quibus sibi liquida illa meditandi voluptas eriperetur, paulo esse tardiorum. Deinde cum nihil, nisi quod omnibus numeris expletum esset, a se exire vellet, maiorem habens posteritatis, quam praesentis aetatis, rationem, lapsus est, ut fere solent excellentissimi quique artifices,

in

in quandam calumniam sui, ut, quantumcunque adhibuisset curae et studii, tamen nihil satis putaret. Ita, quod Plinius de Protogene, pictore, dicit, in summa artis intentione minor erat fertilitas. Huc accedebat, quod, quamcunque rem tractandam sumisset, eam ita excutere, et cum pulviseulo exaurire studebat, ut, qui post hac idem agere institueret, omnem sibi materiam praereptam inveniret. Quamobrem memoriae suae, fidissimo ceteroquin omnium, quae semel legisset, audivissetve, custodi, irasci solebat, si vel leve quiddam, quod eodem pertineret, sibi post editum librum suppeditaret.

Fuerunt, quibus in Luciano ornando nimis cunctatus videretur: a quibus petimus et quaesumus, ut eius cunctationem comparent cum aliorum, qui post ad eundem scriptorem edendum accedere ausi sunt, festinatione. Reperient profecto, illum cunctando rem restituisse, hos festinando perdidisse.

Ille autem tot vigiliarum et tot annorum fructus si minus publice apparuit, non tamen idcirco vel exiguis esse, vel

pe-

periisse existimandus est. Nam vix ullus sive Graecus sive Latinus scriptor est, in cuius margine non tales emendationes, quales a principe Criticorum proficiisci debebant, notarit. Pleni sunt castigationum, ut paucos tantum nominem, Aristophanes, Oratores Attici, Theocritus, Apollonius Rhodius, Harpocration: pleni ex poëtis Latinis, Propertius, Manilius, Valerius Flaccus. Hinc igitur praesidia, hinc ornamenta editionibus a se curandis petant critics studiosi. Neque verendum est, ne talis thesaurus in dominos literarum rudes incidat, aut dissipatus pereat. Adhuc illum integrum servat Franciscus Hemsterhusius, unus ex tribus filiis superstes, paterni ingenii, animi, et oris imago, qui philosophiam et mathematicas artes cum eruditae antiquitatis scientia ita coniunxit, ut, qua laude magis excellat, difficile sit existimare. Sed idem inusitata liberalitate totum illum thesaurum Bibliothecae publicae Leidensi, post fata sua, donare constituit, iam nunc fidem suam per me omnibus ita astringens, ut haec publica voluntatis declaratio testamenti

viii

vim habere possit. Sic facere decebat filium, qui nobis patrem cum aliis virtutibus, tum animi magnitudine reddit.

Satis multa de Hemsterhusii ingenio et doctrina diximus. Nunc animum contemplemur, utrius facultati vel parem, vel superiorem. Nec alienum est, qui Critici nostri animus et mores fuerint, quaerere, praesertim cum de Criticorum moribus ea inveteraverit opinio, ut nullum eruditorum genus ferocius, truculentius, magisque contentiosum habeatur. Equidem negare non possum, tales et olim fuisse, et forte etiam nunc esse. Addo etiam, ridiculas istorum pugnas de verbis et parvi momenti rebus Criticam non leviter infamasse. Veruntamen quis tam iniquus iudex est, ut hominum vitium ad artis contemptum trahat? Nisi vero Iurisprudentia contemni debet, quod inter Iurisconsultos rabulae, aut Medicina, quod inter Medicos circulatores reperiuntur. Nolim huius opinionis levitatem et iniquitatem pluribus verbis refellere. Sunt Hemsterhusii mores optima Criticorum apologia. Cuius enim famam et existimationem ille unquam scripsit

D

ptis

ptis suis laesit? Cuius dissensum, in tanto doctrinae fastigio, non facile ac le-  
niter tulit? Ne tum quidem, cum res et  
locus postularent, superbiam maximis me-  
ritis quaesitam sumebat. Quid? tantum  
aberat, ut aliorum errores exagitaret, ut  
stultos etiam patientius ferret, quam ne-  
cessere videretur. Erat, qui saepe in cir-  
culis, ipso praesente, Pindaros, Sophocles  
et Demosthenes, quos nunquam legerat,  
loqueretur, eosque velut in lance positos  
modo tolleret iudicio suo, modo deprime-  
ret. Cum ceteri, qui aderant, intentis in  
eum oculis exspectarent, ut stolidam ho-  
minis vanitatem comprimeret, ille ne ver-  
bum quidem. Cur enim, dicebat, hunc  
minus patiar ingenio suo frui, quam con-  
cionatores sacros, qui coram me et Schulten-  
sio, in pari infelicia, iactant Graecarum  
et Orientalium scientiam literarum?

Sed non est, quod magnopere mire-  
mur aut aliorum intolerabilem fastum et  
superbiam, aut huius amabilem humanita-  
tem. Nam illi ex his studiis nullum, nisi  
eruditionis, fructum petunt: cuius vis quae  
potest esse in animum et mores? Hic non  
unam eruditionem, sed in primis vitae et  
mo-

morum elegantiam, omninoque veram sa-  
 pientiam inde sibi hauriendam ducebat.  
 Ac morum quidem venustas non solum  
 per eius libros fusa est, sed etiam in ser-  
 monibus, omnibusque vitae actionibus ita  
 lucebat, ut non tam sibi et Musis vixisse,  
 quam inter fortunatos et beatos homines  
 aetatem egisse videretur. Sermo familiaris  
 et si tam accuratus et eruditus erat, ut me-  
 ditatum diceres, tamen nihil habebat af-  
 fectionis molestiae. Immo haec gravitas  
 temperabatur incredibili humanitatis festi-  
 vitatisque condimento. Nam et ipse sale  
 atque urbanitate abundabat, et praeterea  
 omnem leporum et facetiarum florem ex  
 antiquis et novis scriptoribus libarat. Ita-  
 que vix alium ex eruditorum ordine vidi-  
 mus, cuius consuetudo a principibus etiam  
 viris vehementius expeteretur. Non ha-  
 bet patria proceres illustriores, prudentio-  
 res, et bonis artibus ad omnem humani-  
 tatem magis excultos, quam fratres, Gui-  
 lielmum et Carolum Bentinckios. Atqui  
 illi fateri et prae se ferre non dubitant, se  
 nunquam, nisi meliores aliqua parte et  
 doctiores, ab Hemsterhusio discessisse. Ac  
 nescio, maiorine gloriae sit Hemsterhusio,

D 2

Ben-

Bentinckiis placuisse, an Bentinckiis, Hemsterhusii virtutes intellexisse.

Animus eius erat, qualis esse debet  
bat tot sapientum praeceptis conformatus,  
unius verae et solidae virtutis admirator,  
contemtor rerum fluxarum et humilium.  
Roboris quantum in eo fuerit, hoc documento  
cognoscere licet. Venerant ad eum  
Franequeram nobilissimi e primaria gente  
Wassenaria hospites, biduum hilare sumturi.  
Cum omnes accubuissent, animis ad laetitiam  
remissis, ecce literis fit certior, filium sum-  
mae spei, Iacobum, qui sibi decus ex militia  
navali petebat procul a patria immatura  
morte periisse. Quid ille? Vultu nihil mu-  
tato seponit literas, simulat hilaritatem, acer-  
bissimumque dolorem per biduum pectore  
premit, quod hospitum iucunditatem mulie-  
bri et nihil profutura eiulatione contaminari  
nolebat. Tali constantia germanus ille So-  
craticae disciplinae alumnus, Xenophon, nun-  
ciata inter sacrificandum filii Grylli morte,  
luctum distulit, dum solleme sacrificium  
peregisset.

Ostentationem et inanem pompam odes-  
rat cum in reliqua vita, tum in docendo;  
ut exteri, qui ad eius lectiones venissent,

vix

vix crederent, hunc esse illum Hemsterhūsium, de quo tot ac tanta praedicari audivissent. Famae et magnae de se opinionis prope negligens erat, et minime omnium curabat laudem vulgi, cui idecirco paene ignotus vixit. Sed quo minus gloriam venabatur, eo magis ad eum sponte confluerebat. Quis enim nescit, omnes omnium gentium eruditos una voce, una sententia regnum in literis ad ipsum detulisse?

Prudentia, dubito, an unquam maior et praestantior fuerit in ullo homine erudito. Credebat Epicharmo, nervos et artus prudentiae esse, non temere credere, tenebatque, si quis alias, artem difficillimam tacendi suo tempore, et loquendi. In consilio capiendo cautus, consideratus, et, si quaeris, lonus: quippe omnes in utramque partem rationes videbat, et magno iudicio ponderabat: sed idem, ubi semel quid decrevisset, constans et firmus. Alienus a suspicionibus: sed idem latebrarum, quae in animis hominum sunt, sagacissimus explorator.

Sed prudentia, quae vitam privatam attingit, si in eo summa et singularis fuit, fortasse minus mirum videatur. Unde vero ille, qui nullam reipublicae partem attigisset, tan-

tantam hauserat rerum civilium scientiam? Nempe cum eam non experiundo sibi comparare posset, usus et experientiae vicariam adscivit philosophiam, in primisque omnis priscae et recentioris aetatis historiam. Ex qua virtute Academia Batava uberrimum fructum tulit. Nactus enim amplissimum theatrum, in quo civilis illa prudentia spectari posset, foederatorum Belgarum historiam nova et inusitata ratione tradere coepit. Indagabat veras causas, ex quibus res gestae penderent, remotis simulationum involucris, quibus tegerentur, consilia principum et populorum cur bene, cur secus cecidissent, explicabat, quid expertendum, quid fugiendum esset, demonstrabat, efficiebatque adeo, ut disciplina sua prudentiae civilis magistra et esset et haberetur. In primis herorum Batavorum ingenia et mores tanto artificio pingebat, ut non literarum Professorem, sed Polybium aut Tacitum cathedrae impositum putasse.

Tali ingenio, doctrina et sapientia fuit Hemsterhusius, cuius similem Criticum nos haud vidimus, posteri ut videant, bonarum literarum causa vehementer optamus.

IO. AUG. ERNESTI

NARRATIO

DE

IO. MATTHIA GESNERO

AD

DAVIDEM RUHNKENIUM V. C.

---



---

---

## *Narratio*

*de*

*Io. Matthia Gesnero.*

---

**A**cerbum dolorem renouare iubes, Ruhnkeni, Vir Celeberrime, cum tibi de Gesneri vita, ingenio, institutis, moribusque a me vis scribi: cuius obitum cum et literarum causa omnibus vehementer esse dolendum putas, et mea quoque causa Te scribis dolere, et verissime iudicas, et adversus me peramanter facis. Nam fuit profecto talis, qualem paucos ante annos descripsi in Homerici Operis praefatione (quam ille in ultimis ad me literis ἐντοξιον suum appellabat) *Graecarum omniumque bonarum literarum in Germania*, (addiderim,

*non*

non modo hac nostra, sed omni memoria  
 longe princeps, ingenii autem felicitate, do-  
 ctrinae accuratae et exquisitae copia, orationis  
 denique elegantia et dulcedine veterum optimo  
 cuique simillimus: neque id Tibi, aut cui-  
 quam, qui ingenium et doctrinam recte  
 aestimare possit, dubium arbitror videri.  
 Quodsi Tibi contigisset, illum coram vide-  
 re et alloqui, cum eo diem unum et alte-  
 rum exigere familiariter, ita Te adfectum  
 ab eo discessurum fuisse confido, ut no-  
 strum quondam Askewum, Britannum V.  
 C., qui cum in peregrinatione ab eo ad me  
 venisset, ad primam nominis Gesneriani  
 mentionem, in admirationem non modo  
 doctrinae, sed humanitatis, sed elegantiae,  
 sed suavitatis effusus, *talem*, inquit, *virum*  
*nunquam vidi.* Adeo ille ingenii et doctrinae  
 magnitudinem etiam externis illis bonis  
 aequabat. Ego autem quomodo non  
 praecipuo et acerbo dolore excrucier in  
 istius morte, qui me adolescentem, ut pri-  
 mum vidit, et de literis mecum collocutus  
 est, ita adamavit et laudavit, ut omnibus  
 aequalibus, etiam cum invidia quadam  
 sua, palam praeferret, quocum tres ipsos

an-

annos in Schola Thomana coniunctissime et suavissime vixi, post autem per XXVII annos amicitiam sanctissime colui, animo denique, voluntate, ac sensu de literis ipsis, et de rebus omnibus, ita coniunctus fui, ut ipse saepe miraretur tantam confessionem ingeniorum et animorum nostrorum, nec modo in literis ad me suis, sed etiam apud alios. Et nihil dixi de eius in me meritis, quae multa, et magna, et iucunda extiterunt. Quarum rerum causa quantopere illum amaverim, et in eadem illa epistola dixi, et ita vulgo notum fuit, ut etiam amicus quidam meus, cognita eius morte, statim ad me accurrerit, et per ambages me ad eam cognoscendam deduxerit, ne, repentino iacturac tanta nuncio, vehementius, quam opus esset, perturbarer.

Erat autem tum recens adhuc dolor aliis e morte Praeceptoris, vnius de omnibus superstitis, et optime de me meriti, Frid. Gotthilf. Freytagii, qui Scholam Portensem triginta amplius annos optime rexerat, et eius veterem gloriam paene unus sustentavit. Erat enim, ut alia bona mittam, Graecarum et Latinarum literarum eximia scien-

scientia praeditus, in primisque exquisito iudicio elegantiae in scribendo valebat. Hic primus orationem meam limae suae severitate polivit, intra iustos fines redigere, et numerosam efficere docuit. Et habebat admirabile artificium effingendae orationis puerilis, non modo iis, quae scripta essent, castigandis, pro cuiusque ingenii et facultatis modo, sed etiam actum ipsum et quasi nisum scribendi, et elaborandae orationis adiuvans, praecipiendo, admonendo, cavendo. Nec alii Graecarum literarum amorem debeo, quarum discendarum studium ille mihi, ab iis alieniori, quod ad consilium vitae futurae nihil admodum mihi profuturas passus eram mihi persuaderi, opportunitate aliqua usus, ita efficaciter iniecit, ut post etiam intemperantiam discendi coercere necessere habuerit. Denique me deduxit ille in domum Stiglitii, Consularis nuper civitatis nostrae, a quo quantopere adiutus, ornatus, denique etiam amatus sim, cum sciant omnes, sitque in eo pars magna dignitatis nostrae, non opus est dicere. Itaque morte eius cognita, quamquam multarum rerum iucun-

cundissimarum, quas ante attigi, memoria  
subibat animum, tamen longe maior invasit  
moeror, quem etiam Scholae illius fortu-  
na, et identidem incurans et se immis-  
cens Stiglitii memoria aggravabat, cuius  
prudentiam, gravitatem, constantiam, au-  
toritatem, Cuiutari alienissimo tempore  
ademitam, nunc quoque lugemus.

Ad hunc ergo dolorem cum acces-  
sisset Gesneri; mors, incredibile dictu est,  
quanto moerore fuerim oppressus. Quo  
magis abhorri a consilio hoc scribendi,  
cum Tu, V. C. statim ab nuncio rei ad  
vos perlato, a me petiisses. Nunc cum,  
interiecto longiori tempore, resederit ille  
tumor, et Tu me subinde admonueris,  
suscepi Tibi describere imaginem viri: non  
quo id omnium maxime possem, aut quo  
confiderem plane exprimere tanti ingenii  
tantaque virtutis pulchritudinem, sed ut  
Tibi, cui virum non nisi de scriptis nosse  
contigit, adumbrarem tuncunque totum in-  
genium illud et virtutem universam, quae  
longe profecto latius patuerunt, quam  
existimare possint, qui sibi imaginem eius  
e scri-

e scriptis fingant. In quo mihi plane accidit, quod iis, qui uxorem cariorem acerba morte amiserunt. Etenim quae cogitation ab initio, in viriditate luctus, ita perturbat ac moerore conficit animos, ut eos etiam avocare et avertere ab tali cogitatione necesse habeant, ea paullatim accipit suavitatem tantam, ut eam etiam oblectationis causa sibi proponant, eique libentissime indulgeant. Profecto haec dum scripsi, recensendis animo et intuendis viri bonis, tanta non modo voluptate perfusus sum, ut Tibi saepe gratias tacitas egerim, qui me ad hanc scriptionem impulisses, sed etiam caritate viri incensus, ut, cum maxime amarim, tamen multo magis, quam antea, amare Gesnerum viderer. Itaque Te quoque, et quicunque haec legerint, ita affectos ab hac lectione discessuros confido, ut ad pristinum de Gesnero iudicium, quamquam praeclarum, benivolentiamque, magnam accessionem factam sentiant.

Natus est anno superioris seculi uno et nonagesimo in Franconiae villa prope Noribergam, sed Anspacensis ditionis, patre

tre Io. Samuele, qui ibi sacra faciebat magna cum sanctitatis laude. Huius de maioribus etsi nihil certi possum tradere, unde planum fiat, an cum magno illo Conrado communes origines noster habuerit; tamen ab eo memini mihi ante multos annos scribi, se vestigiis quibusdam eo duci, ut ab eadem se stirpe ortum crederet: itaque non dubitasse, Conradum imitari, quatuor elementorum figuram in epistolis signandis usurpando, praesertim hortante Io. Iacobo Gesnero, Tigurinae Scholae clarissimo ornamento. Hoc autem ille scripsicerat mihi, quia vitio dederat nescio quis, quod eo signo uteretur, cui nihil praeter nomen cum illa familia esset commune, atque arrogantiae et vanitatis nomine reprehenderat. At ille non opus habebat ab alio petere nominis claritatem, qui sui ipse ingenii luce nomen suum fatis illustre fecisset. Sed de hac re certiora suo tempore traderet, qui vitae Gesnerianaे Commentarios scribere instituit,  
Hambergerus V. C.

Pa-

Patrem mature amisit, annos natus  
 undecim; sed affectum patris et curam  
 reddidit vitricus, qui non modo puerum  
 ipse, quoad domi sua habuit, literis eru-  
 divit, sed etiam in Gymnasium Anspacense  
 deduxit, in quo octo ipsos annos  
 convictu publico, et disciplina literarum  
 usus est. Praeerat tum illi ludo Georgius  
 Nicolaus Koelerus, magnae vir doctri-  
 nae et excellenti docendi solertia, sed qui  
 fama digna carebat, quod ingenii moni-  
 menta prodere non curabat. Enimvero  
 omni tali monumento illustrius est, quod  
 sibi in Gesnero disciplina sua conforman-  
 do peperit, et nactus est ab huius grata  
 eloquentia, qua imaginem eius expressit.  
 Ille autem mirifice deletabatur hoc opere  
 disciplinae sua, gaudebatque se ab disci-  
 pulo doctrina et eloquentia superari. Ita-  
 que cum ad eum scribebat, utebatur hac  
 praescriptione: *Lentulus Ciceroni suo.* In  
 institutis viri huius, quibus eum longe a  
 fastu paedagogico absuisse, et varietati in-  
 geniorum accommodare solitum disciplinam  
 pateat, hoc maxime numeraverim, quod  
 Gesnerus libenter narrabat. Cum in lectio-  
 nibus

nibus tradenda videbat; quae ad Gesnerum nihil pertinerent, intelligebatque eum, si nihil aliud, certe nihil aetorum, quod vix sperari potest in alacrioris ingenii puer, et tempus perditurum; adferebat, quod ipse ageret separatim a ceteris, locum difficiorem e scriptore Graeco, aut e Codice Hebraico, saepe etiam una continuatione et sine accentibus scriptum, verba item Graeca aut Hebraica temere ac nullo ordine contexta, quae, dum ceteros doceret, ipse explicaret, et deinde explicata praceptoris traderet: qua re mirifice adolescentis ingenium ad quaerendum et inuestigandum aquebatur. Cum nihil attulerat per tales occasiones, patiebatur cum interea alias res tractare, literas Syriacas, Arabicas, Aethiopicas, Samaritanas, pingere, aut ad legendi facultatem exerceri, supeditatis etiam libris. Atque ad harum linguarum omnium, etiam novitiarum, Franciae, Italicae, Britannicae initia percipienda privatim, docendo, hortando adducebat: Quorum institutorum prudentiam sibi plurimum profuisse fatebatur; libenterque commemorabat, quantum temporis illa cug

E

ra

ra p̄aeceptoris et indulgentia lucretus es-  
 set, quod sibi in alia disciplina peritum  
 fuisse; et permultis p̄aeclaris ingenii per-  
 rit per condiscipulorum tarditatem et su-  
 perbam inficitiam p̄aeceptorum, ad contem-  
 tum sui trahentium et irascentium, si quis  
 non vult bonas horas sibi perire. Quo no-  
 mine mihi olim memini quendam de p̄ae-  
 ceptoribus iniquiorem fuisse, qui, sive ip-  
 se animadverterat, sive ab aliis audierat,  
 me, dum ipse suo modo interpretaretur,  
 quae haberet in manibus, alia legere.  
 Herodiani quodam tempore historias inter-  
 pretabatur, sed, sive suo quodam instituto,  
 sive potius eorum causa, qui parum pro-  
 fecissent, quorum solet esse in Graecis  
 magnus numerus, tardissime progredieba-  
 tur, cum in singulis verbis diu haereret,  
 omnia cum pulvisculo excuteret; cum ego,  
 tarditatis illius impatiens, ita eum p̄ae-  
 curreram in textu Graeco legendō, ut in  
 extremo libro decurrerem, cum ille adhuc  
 moliretur in primo. Cum igitur aliquan-  
 do me vidisset attentius defixum in libro  
 meo legendō, nec dubitaret, quin aliud le-  
 gerem, quam quod ipse explicaret, re-  
 pente

pente, dum alius recitat, quod iusserat, descendit de cathedra, et me oppressurus suspenso gradu adrepit mihi. Iubet me pergere in lectione ab alio coepit. Ego coepi quaerere locum: ab vicino, ipso inspectante, petere librum. Tum ille, ve-  
lut me in manifesto delicto deprehendisset, accusare fastidium meum. Et parum abe-  
rat . . . Ego autem, animo sumto, ei demonstrabam, Herodianum esse, quem le-  
gerem, adfirmantibus etiam vicinis: et res ipsa fidem faciebat, cum nullus alius liber in manibus esset: mihi nimis lentum negotium esse, itaque praegressum esse legendo, et cum maxime versari in ultimo. Pro-  
ferebam etiam chartulas, in quibus quae-  
dam excerpta e libris singulis scripseram. Hac ille demonstratione confusus conticuit, nec mihi postea molestus fuit. Et narra-  
bat mihi post Freytagius, eum apud se hoc nomine de me quaestum, quod ea  
res ad contemnum sui pertinere videretur:  
se autem ei sic respondisse, ut diceret, cum  
meum studium omnibus notum esset, nec  
ipse ignoraret, me iam tertium annum  
acerrimo studio in Graecis versari, secu-

rum esse de me, et, quid legerem, inquirere non debuisse. Est sane res maioris prudentiae et artificii, quam vulgo credunt, multos, in tanta ingeniorum, adde etiam profectus diversitate, una disciplina contineare, sive docendi rationem ita ingeniorum varietati accommodare, ut eodem tempore tarditati et celeritati consulas, illam incites, hanc non retardes et frangas. Eius rei nec una ratio est, nec eadem cadit in omnia docentium ingenia. Sed de ea re hoc loco dicere ac praecipere nihil attinet: de Gesnero dicere instituimus: ad hunc igitur redibimus.

Non uni praceptoris carus erat Gesnerus, sed omnibus, qui praeclara ingenia cognoscere, et amare didicerant: in his in primis Io. Frid. Weilio, viro multae et elegantis doctrinae, qui studia Principum Anspacensium, Friderici et Guilielmī Friderici magna cum fide et pari laude rexerat. Is igitur non modo tum Gesnerum multis beneficiis adfecit, sed etiam Academicis studiis prospexit, lauto stipendio impetrato, quo tenuitas fortunarum suble-

sublevaretur. Dimissus ex Anspacensi disciplina Ienam abiit, audivitque praestantissimos Philosophiae, Matheseos, Historiae, Linguarum ac Theologiae doctores; sed in primis Danzium et Buddeum sectatus est. Ab illo quidem ad intimos literarum Hebraicarum recessus adductus est, nec minus Syriacae, Chaldaicae et Arabicae linguae idoneam et ad Hebraicas literas utilem scientiam. Buddeum autem assidue audiuit Theologiam, Controversias, Historiam Ecclesiae tradentem, itemque Grotii diuinum de iure belli ac pacis opus interpretantem. Et hunc quidem ita cepit ingenii admirabili praestantia, doctrinae recto studio, ac mox doctrina ipsa et virtute, ut eum vellet esse in contubernio filii Caroli Francisci, qui in aula Ducis Gothani, Consiliarii, ad extremum Procancellarii munere magna cum laude functus ante paucos annos mortuus est. Atque etiam opera eius in rebus privatis, quae quidem ad literariam rem pertinerent, utebatur. Nec eo utebatur ut ministro, sed ut amico, saepe etiam consiliario, omniumque honorum suorum in communionem vocabat.

bat. Ei bibliotheca viri patebat: multo  
 magis ipse, hoc est, doctrina, consilium,  
 animus. Cum eo saepe differere, in hor-  
 to, quoties res et tempestas sineret, deambu-  
 lare; quoties otium suum oblectare vell-  
 let, Gesnerum vocare, non modo ut in  
 societatem oblectationis veniret, sed ut  
 eam etiam ingenii sui sermonumque amoe-  
 nitate augeret. Erat autem Buddeus, ut  
 commemorabat Gesnerus, in summa gra-  
 vitate, tamen, cum animum remiserat, et  
 ab laborum severitate ad otium hilaritatem  
 descendebat, mirificae comitatis, cuius tum  
 opportunitate usus Gesnerus eligebat ser-  
 mones de quibuscumque rebus veller, h. e.  
 quas maxime cognoscere cuperet, nec un-  
 quam ab tali sermone, nisi doctior, rece-  
 debat. In hac domo etiam natum pri-  
 mum est studium historiae literariae, cu-  
 ius discenda et bibliotheca copiosissima, et  
 multo magis dominus eius amplam facul-  
 tatem dabant. Ceterum cum bene intel-  
 ligeret Buddeus, quanta materia esset in  
 ingenio Gesneri, et iam etiam doctrina in  
 multis generibus literarum, in primisque  
 in eo, quod ad humanitatem pertineret,

con-

considereretque, in eo doctorem excellentem  
habituram esse iuventutem scholasticam, im-  
pulit eum primum ad petendos honores,  
per quos docendi ius in Academiis datur,  
paullo post autem commendatione sua per-  
fecit, ut ad munus docendi in Scholam  
Vinariensem vocaretur, cui, per tredecim  
annos, summa cum fide et pari laude  
praefuit.

Ea conditione longe inferior ingenio  
et doctrina viril erat. Itaque subinde ex-  
petebatur ad maiora et laudiora munera.  
Sed erant alia, per quae retinebatur ita,  
ut nulla eum conditio ab his sedibus ab-  
strahere posset: primum omnium Frid.  
Gothilf. Mareschalli e Greifisi, qui prin-  
cipem in aula Ducis locum tenebat, con-  
stantissima benivolentia et inusitata liberali-  
tas. Nam cum esset ipse doctissimus et  
omnium literarum amantissimus, perspexis-  
setque Gesneriani ingenii et doctrinae præ-  
stantiam, ita Gesnerum adsciverat, ut  
quotidie apud se coenaret, etiam inter il-  
lustres convivas, secum in praedium iret,  
in biblioteca, quam egregie instructam ha-  
be-

bebat, sederet differendi causa, denique super omnibus, quae ad ecclesiasticam et scholasticam rem pertinerent, consulueret. Cuius rei etiam hunc fructum libenter Gesnerus commemorabat, quod cum multis illustribus viris notitiam, etiam amicitiam contraxisset, per quas multis deinde profuisse. Accesserat etiam cura bibliothecae, quae de Logaviana et Schurzfleischiana instruta erat in arce principis, et librorum optimorum, praesertim historico-rum, copia abundabat. Hic bibliothecae septem ipsos annos ita praeftuit, ut quicquid temporis ab aliis curis et laboribus vacaret, in ea ordinanda, et multo magis in Commentariis conficiendis consumeret, non qui nomina librorum ordine certo digesta haberent, sed qui argumenta, quae vel totis libris, vel singulis librorum partibus, non modo ex instituto et de consilio librorum universorum, sed etiam obiter, explicarentur. Eam rem sic agebat, ut libris singulis perlustratis, saepe etiam lectis, titulos rerum in schedis notaret, et in cistulas ad certum ordinem dispositas conderet, quas ad extremum, cum omnes

per

perspexisset, in Commentarios digereret, atque ita et sibi et aliis facultatem pararet reperiendi, quicquid de quaque re in libris illius bibliothecae esset. Aliquoties eum audivit, cum diceret, se in illo tanto ac diuturno labore hac spe sustentatum esse, quod putaret, eo perfecto communis cuiusdam Oraculi sedem in illa bibliotheca fore, quod et ipsis et per se consilientibus responsa de omnibus rebus daret: interdum per iocum, Oraculi nomen etiam ad se transferebat. Sed illa spes ad irritum cecidit, fortuna quadam, ut tum interpretabatur, adversa, ut eventus docuit, providentia quadam divina, quae vincula illa, per quae Vinariae tantopere adstringeretur, abrumperet, ut ad loca deduceretur ea, in quibus dignum tali ingenio atque doctrina theatrum, et amplior bene de literis merendi materia contingeret. Et solebat hoc in primis libenter usurpare sermonibus, nec modo providentiae divinae de se tam bene meritae praedicandae causa, sed etiam, ut alios confirmaret, et eorum spem ad illius providentiae benignam sa-

pientiam converteret, nihil sibi omnium, quae animo suo sibi destinasset, et in magna felicitatis parte expetisset, (quae multa mihi per multas occasiones, etiam mea causa, commemorabat) contigisse, sed omnia alia, votis suis ac spe maiora. In quibus maxime ponebat illum Vinariensem casum. Nam mortuo Guilielmo Ernesto Duce, cum Mareschallus ab administracione reipublicae summotus, multique, ut sit, una loco pulsi essent, qui eius gratia locum suum obtinuissent, malum illud etiam Gesnerum contigit praeter ipsius et omnium opinionem. Etenim ita etiam novi Principis gratia floruerat, ut eum certe saluum omnes, multi etiam honoratiorem fore putarent. Amabat Princeps literas: commendatus ei Gesnerus erat a Buddeo, quo praceptor quondam Halis Princeps usus erat: saepe ei liberalissime promiserat, aliasque benivolentiae significationes dederat. Venerat aliquando ad eum, qui thesauros auri atque argenti maximos aliquo loco diceret latere, eosque se indagatos arte sua eruturum promitteret. Benigne accepta erat impostoris promissio: ipse,

ipse, dum perficeret promissa, latte habitus. Dies unus, alter, tertius: nihil fit. Cum dies bene multi abissent, non ex soluta fide, urgereturque a Principe, redactus ad angustias, nihil, ait, sibi ad inveniendum obstat praeferuntur unam formulam, cuius vim assequi satis non posset: in hoc incili se haerere: si quis inde se posset expedire, ad effectum rei suscepere venturum. Eundem est ad Gesnerum, inquit Princeps: omnia ille scit. Itur ergo ad eum. Gesnerus negat, se artes magicas didicisse, aut exercuisse: enimvero consideraturum formulam. Venit in mentem, se huiusmodi quid in libro aliquo vidisse, fore Trithemiana Steganographia. Hanc ergo primam adit: reperit ecce totam formulam. Re ad Principem delata, et fratre cognita, multatus, ut dignus erat, impostor abit: ceterum Gesnerus laudibus ferri: hunc vero esse virum: eum minus digne nunc haberi: ubi ad se summa regum venerit, longe ornatiorem fore. Itaque ei tum, ut dixi, non modo incolumentis, sed etiam novi honores opinione hominum et fama dessinabantur. Sed omnia alia leve-

ne-

nere. Ademta est bibliothecae cura, quamvis deprecantibus omnibus, qui aliquid apud Principem possent, et hunc unum idoneum ei curationi asseyerarent. Rogabat, ut sibi modo absolvere opus institutum liceret. Id quoque negatum est. Tum vero displicere Vinaria, nec modo hanc ob causam, quod intra muneris scholastici angustias cogeretur, sed quod etiam nimis affligi videret domum in se tam beneficam, et alios, quos coleret atque amaret. Itaque cum ei paullo post oblata esset Gymnasii Anspacensis gubernatio, libenter accepit conditionem, tanquam divinitus oblatum donum, quod etiam commendationis non parum haberet a facultate bene merendi de Schola et Urbe de se tam bene merita, et illo ipso anno, quo plaga tanta iniecta erat, sublatis rebus, immigravit. Eo venit exoptatissimus omnibus, summis infimis in favorem viri effusis. Et ipsum audivi narrantem, quomodo post multorum annorum intervallum adfectus fuerit, cum ad illum pueritiae suae nidum venisset, et in amplexu veteris praceptoris, Koeleri, qui nuper ad Praesulatum Suab.

cen-

censem a scholaistica statione traductus erat. Sed omne tempus, quod inde apud Anspacenses egisset, iucundissime exactum esse praedicabat: cuius suavitatis partem bonam Oedero V. C. tribuebat, quem in scholaistica curatione collegam concordissimum habuerat, et in consuetudine quotidiana periucundum confabulatorem. Quo fecit libentius, ut utrumque filium, in disciplinam acceptum, primum ad elegantiam doctrinae formaret, deinde bene conformatos proveheret. Nam maior natu commendatione eius Gymnasium Thoruniense regendum accepit, eique rei dexterime praefuit: sed intemperantia studiorum, ut audivi e Geretio, clarissimo illo Ecclesiae Thor. Antistite, Gesneri cognato, atque, ut opinor, etiam moerore amissae ex partu uxor, Geretiae, vitam praecepitavit: alter in Carolino Collegio apud Brunsuenses magna cum laude philosophiam et mathematicas artes docet.

Verum Anspacensis commoratio non fuit diurna, tredecim fere mensium. Vacabat tum apud nos Rectoris in Schöla

la Thomana locus. Cum eum Senatus mandare quam maxime idoneo viro cuperet, primoribus Collegii Gesnerum impensē commendavit illustrissimus Bunavius, qui tum Senatui Ecclesiastico Dresdae summa cum dignitate praesidebat, et omnibus, qui exquisitus docti essent, verissime et enixissime fauebat: nam casu in hac Urbe erat inspiciendarum rerum Academicarum causa. Acceptum est saluberrimum consilium ab iis, qui maxime consultum scholae cuperent, et acceptum est hoc facilius et libentius, quod non modo de doctrina viri constabat, sed erant etiam, quibus exquisita viri humanitas et elegantia nota esset. Etenim non multis annis ante Thomas Fritschius, qui nobilem librariam in hac urbe factabat, cum Lenae Buddeum magnifice de eius doctrina iudicantem audisset, cupiditate eius cognoscendi incensus, dum huic rediret, per Vinarium iter fecerat, atque ipsum secum Lipsiam abduxerat, tum animi causa, tum ut eius consiliis in rebus nonnullis, quas pararet, in primis in Lexici Fabriani itemque historici repetitione uteretur. Is eum adduxerat in conventum

viro-

virorum primariorum, Stiglitii, Boernerii, Bau-  
 disii, Meakenii, Mascovii, Wagneri, qui sim-  
 gulis diebus Martis ab hora sexta coibant.  
 Erant ibi primum sermones plures de lit-  
 teris: sequebatur coena frugalis, quae et  
 ipsa sermonibus talibus exhilararetur. Mu-  
 nus excipiendi convivas in orbem ibat, et  
 licebat adducere, si cui hospes venisset, cu-  
 ius ingenium ab talis conventus consilio  
 non abhorrere videretur. Narrabat mihi  
 Stiglitius, quo tempore consilia de eo vo-  
 cando agitabantur, omnes mirifice captos  
 fuisse viri ingenio, doctrina, quae sine ostend-  
 tatione paedagogica proferretur, et morum  
 urbanitate. Invitatus igitur est literis Se-  
 natus ad Scholam Thomanam gubernan-  
 dam. Nec dubitavit accipere, quod de-  
 ferebatur: non quo poeniteret sortis sua  
 et Anspacensium, sed quod sibi maiorem  
 hic facultatem dari putaret bene de literis  
 merendi, nec sine numine divino eam sibi  
 conditionem oblatam. Venit huc mense  
 Septembri anni trigesimi, exceptusque est ita,  
 ut facile agnosceret propensissima omnium  
 in se studia, et summam in sua doctrina et  
 dexteritate fiduciam; cum ei non modo ho-  
 nos

nos a primariis viris haberetur maximus, sed etiam potestas fieret rei scholasticae, ut videretur, ordinandae. Saepe erat cum primoribus Civitatis vel colloquendi vel coenandi causa: ei liberi in disciplinam dabantur: omni genere liberalitatis cumulabatur. Unum ex eo genere commemorasse sat erit. Cum prima hieme, nondum absoluta Scholae exaedificatione et domicilio, quod ei destinabatur, longius ab schola habitaret, publice dabatur pecunia, ut sellam adopertam conduceret, qua deferri in scholam, et, finitis lectionibus, referri domum posset. Sed omnium maxime et constantissime eum amabat ac tuebatur Stiglitius, Scholae Thomanae tum Curator; qui etiam amorem eius ad extremum ita conservavit, ut etiam auditio Gesneri nomine gauderet. Incredibile dictu est, quantum Scholae illi profuerit, non modo disciplina eius rectius ac novis legibus constituenta, et auctoritate regenda, sed etiam literis nova tum apud nos et pulcherrima ratione tradendis. Nec minus dixerim meritum de literis universis. Nam profecto etiam rectius ac melius de literis humioribus,

earumque vera et iusta scientia, et Latine  
scribendi facultate, iudicare, nostros homines  
coepit docere. Quae res ei etiam invidiam  
apud nonnullos contraxit, qui cum in his  
literis ante crediti essent excellere, eo cogni-  
to, magnam pristinae de se opinionis demis-  
sionem factam sentiebant. Augebat in-  
vidiam primorum in eo praeter ceteros  
laudando, colendo et ornando inusitatum  
studium: quam ille tamen modestia, et  
summa in omnes humanitate lenire ten-  
tabat. Sed eius valetudini aër, vixus, in-  
primis, ut ipse aiebat, aqua, non bene  
convenire videbatur. Nam plerumque non  
satis valuit, et bis ita aegrotavit, ut vitae  
periculum adiret, semel anno primo, ite-  
rum quarto, illo ipso tempore, quo ei  
Gottingensis conditio offerebatur: quam-  
quam posterioris morbi etiam alia causa  
fuisse videbatur, de qua dicere non est ne-  
cessere. Quo facilius ei persuaderi po-  
tuit, ut ea condizione sibi utendum puta-  
ret.

Abiit ergo Gottingam, dolentibus  
omnibus, qui, quantam iacturam faceret

F

Scho-

Schola et Civitas ipsa, intelligerent. Ibi inter primos fuit, qui scholis habendis erudirent, quos novae scholae fama contraxerat, et allicerent fama nominis alios. Et fuit haud dubie per omne tempus princeps eorum, qui plurimum ei doctrina et consilio proderent, eiusque gloriam fama ingenii et doctrinae, operibusque praeclaris longe lateque propagarent. Itaque probatissimus et clarissimus fuit, quoad vixit, operis pulcerrimi post Deum auctori, et non modo illius, sed ipsarum literarum Statori unico, Magno Munchusio; cuius de laudibus si ita dicere vellem, uti dignus est, atque ipse sentio, longissima mihi explicanda esset oratio; quam hic locus non capit. Et sunt eius opera et praeclare facta vel disertissima oratione disertiora. Gesnerus quidem in eo pulcerriam et maxime amabilem felicitatis suae atque etiam gloriae partem verissime ponebat, quod, quicquid vel commodorum vel ornamentorum sibi Gottingae contigisset, id oinme de manu illius acceptum teneret. Sed multiplicem personam ibi sustinebat, primum Professoris humanitatis  
uni-

universae, deinde Bibliothecarii, tertiam Antistitis Seminarii Philologici, quartam Inspectoris Scholarum per Luneburgicas terras universarum. Ac primam quidem quomodo sustinuerit, si Tibi dicam, Ruhnkeni Clarissime, iniuriam fecerim iudicio Tuo.

Bibliothecarius qualis fuerit, ea, quae de Vinariensis bibliothecae curatione dicta sunt, et vero etiam multiplex linguarum et doctrinarum scientia, quaerere non sinunt. Ipse autem non modo scientia Bibliothecariorum omnium longe princeps erat, sed etiam elegantissima humanitate, et expromta adversus hospites facilitate. Quoties ad usus communes patebat Bibliotheca, ipse praesto esse, circumire, qui adessent, elicere sermones, consilia dare, libros ei rei, de qua quaererent, idoneos indicare, praebere, viam reperiendi, utendi, demonstrare ac munire. Hospites autem quoties ad bibliothecam visendam venissent, sermonem ad sua cuiusque studia trahebat, quid in eo genere rarum, praecipuum, proprium esset, ostendebat, de rebus ipsis, quoad cuiusque captus ferret, et sine scho-

lastica ostentatione posset, differebat. Itaque illi sic discedebant, ut, doctrinam potius an elegantiam et humanitatem praedecarent, vix decernerent. Et est illa bibliotheca, ubi aliquis optet Bibliothecarii munere fungi, digna Bibliothecario Genserio. Non dicam, quam bene habiter, quamquam hoc quoque in bibliotheca laudatur. Initia illius, quae vidi ipse in dedicatione scholae novae, erant ea, ut iustae bibliothecae modum haberent. Sed ab illo tempore, ampliata utrimque sede sua, incrementa cepit, quanta vix tribus seculis alia speret. Quicquid uspiam dignum illa sede prodit, id eo defertur: quicquid quispiam de Doctoribus publicis optet ibi esse, id, ut ibi sit, curatur. Catalogi ab omnibus Europae partibus convolant ad Munchusium, ab eo ad Bibliothecarium veniunt, ut quid ipsi, quid Professoribus placeat, ematur, nulla copia viri summi liberalitatem fatigante.

Seminarium Philologicum, ipsius de consilio institutum, habuit eundem adeo auctorem et praesidem. Scripserat olim, adhuc

adhuc paene iuvenis, Ienae, de Buddei sententia, *Institutiones rei scholasticae*. Eius libri tum consilium erat, ut lectionibus super eo habendis iuvenes idoneos conformaret ad scholasticum munus recte obeundum; ne agendo demum discere necesse haberent. Sed id consilium tum erat impeditum voatione Vinariensi. Videbatur ei consilii huius ad rem deducendi opportunitas data esse Gottingae, ubi et facultas iuvenum esset, ea studia aemulantium, et necessitas talis instituti ostenderetur, ante omnia, ubi haberet Maecenatem, animo, et voluntate, et liberalitate, ad omnia paratissimum, quae bene consulerentur. Ita tum Seminarium hoc est institutum. Recipiuntur, exactis studiorum tirociniis, qui, de praefidis iudicio, ingenio et voluntate parati sunt ad rem scholasticam administrandam. Hi ab eo, docendo, monendo, exercendo, ad id genus provinciae bene administrande, et omnes partes eius recte peragendas praeparantur. Et sunt iis regia beneficentia stipendia constituta. Sed tota instituti ratio ab ipso Gesnero literis perscripta est, nec indiget oratione nostra.

Id

Id autem pluribus scholis valde profuisse  
ut ego noī dicam, Tua Te sponte arbi-  
tror iudicaturum esse.

Minus felix fuit Inspectio Scholarum,  
non Gesneri culpa, qui sui consilii copiam  
omnibus et doctoribus scholarum et cura-  
toribus patere volebat, illis in docendi ra-  
tione, his in delectu doctorum, et docto-  
rum ipsorum opera, vita, moribus, disci-  
plina idonea regendis. Sed et doctoribus  
multis ille talis monitor et magister non  
valde placebat, et ceteri etiam, ne sui iu-  
ris deminutio fieret, timebant: quasi aliud  
verius et maius ius esset, quam recte et utili-  
ter facere, sive tua sponte, sive ab alterius  
consilio et admonitu facias. Et audio,  
Gesnero mortuo, hanc inspectionis provin-  
ciam esse sublatam, rogantibus Civitatum  
Magistratibus, et facilitate atque indulgen-  
tia primatum aulicorum.

His quatuor personis adiuncta est  
ante hos decem annos quinta, cum, insti-  
tuta Academia doctrinarum, ipsi Classis hi-  
storica et philologica credita est, ad extre-  
mum

rium etiam totius Academiae gubernatio.  
 Hanc quoque personam ita gessit, ut et Academiae gloriam nomine suo illustraret, et pluribus literarum capitibus novam lucem accenderet, cum se ad ea diligentius rimanda et illustranda deditisset. Ea quae sint, Commentarii Academiae docent, et Schedae Gottingenses, quae de libris novis exponunt. Per seam occasionem etiam deductus est ad Orphica, certe diligentius tractanda, de quibus post dicemus. Neque haec, quamvis multa, et magna, et plena laboris, ita cum occupabant, ut nihil superesset temporis ad literas scriptis iuvandas et ornandas: quae ab eo tot ac talia habemus, ut nihil aliud egisse videri possit. Lipsiae quidem inter multos ac statos labores, et qui in Scholae instaurazione extra ordinem accedebant, ut minora taceam, *Rei rusticae scriptores* absolvit, et *Lexiton Fabrianum* totum iterum recensuit, correxit, et locupletavit. Gottingae autem, ut scis, *Lucianum Latinum* fecit, et notis exquisitis ornavit, *Quintiliani Oratorias Institutiones*, *Plinii Epistolas* et *Panegyricum*, *Horatium* et *Claudia-*

dianum castigavit, et utilissimis eruditionis-  
que accuratae plenissimis notis illustravit,  
denique *Thesaurum Latinitatis*, opus maxi-  
mum, et laboriosissimum, et eruditissimum  
edidit, vel unum ad immortalitatem nomi-  
nis et perennem gloriam sufficeretur.

Inter haec Gottingae ita valuit cor-  
pore, ut semel tantum periculose aegrota-  
verit, ante hos decem annos. Quod peri-  
culum elapsus, tamen a reliquiis mali infe-  
status, ad extremum etiam oppressus est.  
modo pedes ab incumbentibus eo vitii re-  
liquiis intumescere cum pruriente rubore:  
modo attollente se ad intestina malo, coctio  
et excretio turbari, superveniente etiam in-  
terdum maligno alvi fluxu. Sustentabat ta-  
men malum naturalis animi et corporis vi-  
gor, ut sufficeret laboribus, atque etiam pri-  
stinam hilaritatem conservaret. Nec dubi-  
tatur, quin longius vitam tracturus fuerit,  
nisi supervenissent, per quae validius irrita-  
tur

retur malum, et pernicies acceleraretur.  
 Culpam ergo festinatae mortis bellum susti-  
 net, in primisque superioris hiemis saevitia,  
 quae aëris immunditie, et victus rum inopia,  
 tum insolentia, etiam bene valentes adflicxit,  
 ac saepe oppressit, nedum languentes et ma-  
 le affectos. Nam uxoris mortem, quae  
 et ipsa in societatem causarum vocari possit,  
 ita placide et constanter tulit, ut ad perni-  
 ciem corporis valuisse vix videatur. Pri-  
 mum gravius tentatus est mense Septembri  
 anni sexagesimi, cum, in reditu a legatione  
 ad Xaverium Ducem, diutius aërem humi-  
 diorem in Visurgi amne hausisset. Supe-  
 riori itaque anno, in omnibus ad me literis,  
 mortis sibi propius minantis mentionem fe-  
 cit, ut isterdum etiam dubitare de Orphi-  
 cis absolvendis videretur. In literis autem  
 a. d. V. Kal. Iun. scriptis, et si ostendebat,  
 se propter vacationem scholarum habenda-  
 rum sperare, ad finem venturum *Syntagma*  
*Orphicum*, tamen addiderat, nisi quid gra-  
 vius incideret, et de diarrhoearum molestiis  
 iis, quas medici nostri ad paralysin viscerum  
 trahebant, et ad mortis vicinae periculum.  
 Quae praedictio eventum suum habuit.

Nam

Nam vertente Iulio, ita aucta est mali vis  
et imbecillitas corporis, ut mortem prope  
adesse appareret; quae consecuta est a. d.  
III. Non. Aug.

Arbitror Te animadvertisse, Ruhnkeni  
Clarissime, per totum huius narrationis de-  
cursum, in Gesnero non minus rarae for-  
tunae, quam doctrinae exemplum extare.  
Eius felicitatis magnus cumulus fuit, immo  
permagna pars, in matrimonio, quod Vina-  
riae inierat cum Elisabetha Charitate Eber-  
hardia, Sacerdotis Gerani in Ducatu Gotha-  
no filia, quam, sola animi et virtutis pae-  
stantia incensus, duxerat. Erant in ea  
omnia, quae beatum matrimonium redde-  
rent: amor et reverentia mariti insignis, li-  
berorum diligentissima cura, rei familiaris  
administratio plena scientiae, fidei et parsi-  
moniae honestae, quae decus conservaret,  
et studio mariti non adversaretur. Memi-  
ni, cum ipse bonam copiam librorum, in  
auctione externa emtorum, acceptam me-  
cum perspiceret, eam adstare, cum pretia  
cuiusque dicerentur, probare salubritatem  
emtionis, laudare librorum pulcritudinem,  
deni-

denique optare, ut etiam maior copia emta esset. Haec an per simulationem dixerit, nee ne, haud pro certo dicam: vocis quidem sonus et oris species nihil habebant, quod simulationis suspicionem facheret. Ceterum si, ut est seminarum ingenium, aliter de hoc genere sumtus faciendi sensit, prudenter tamen feminæ apparer, quae innocentia studio viri non adversaretur, sed ei potius verbis indulgeret. Quo minus miranda est illa constantissima concordia et pietas mutua, cuius vix aliud pulchrius exemplum vidi. Et tulerunt hae tantæ virtutes praemia digna, per liberos ingenii praeclaris et fortunae optabilis. Nam filius Carolus Philippus, ob medicae doctrinae et artis, atque etiam virtutis reliquæ præstantiam, inter Medicos Regis Poloniae adscitus est, atque ornamenti Consiliarii aulici condecoratus; filia autem, Christiana Elisabetha est in matrimonio eiusdem artis, fortunae, et ordinis in aula Cassellana viri, Io. Iacobi Huberi: quibus, et ipsorum, et parentis causa, optabile est, etiam in posterum omnia secunda contingere.

Haec

Haec habui, quae de vita viri summi  
Tibi, V. C. narrarem: in quibus ipsis eius,  
h. e. ingenii, animi, et morum imaginem,  
si non plane expressi, tamen non leviter ad-  
umbravi. Sed magis elaboranda est illa  
adumbratio, ut plane Gesnerum perspicere,  
et animo contueri totum possis; quod Te  
maxime intellexi a me expertissime.

Ingenio ab omni parte excellenti et  
rari exempli fuisse, nemo dubitaverit, qui,  
quae scripscerit, et quomodo scripscerit, quae-  
que etiam in iis generibus calluerit, in qui-  
bus nulla monumenta prodidit, non igno-  
rat, omninoque per consuetudinem familia-  
rem eum cognovit. Quanta facilitate ac  
celeritate in arripiendo, et firmitate in re-  
tinendo fuerit, multitudo linguarum ac di-  
sciplinarum argumento est, quas paene puer  
perdidicerat, maturiori autem aetate vel ex-  
quisire, vel supra mediocritatem callebat.  
Et tamen interdum memoria minus, quam  
vellet, se valere dicebat, ridebatque philo-  
sophos quosdam recentiores, qui etiam a  
memoriae magnitudine iudicandi vim debi-  
litari, dicerent, hanc autem maiorem esse  
in

in iis, qui memoria parum valerent. Sed satis fidebat memoriae in iis rebus, in quibus domicilium ingenii posuerat. Itaque non utebatur Excerptorum auxilio, nec alio subsidio memoriae, quod nos quidem cognoverimus, nisi quod interdum in capite librorum lectorum notabat quaedam insignia in utramque partem. Cum se ad scribendum dederat, omnia ei veniebant in mente, sine cogitandi contentione. Itaque non diu moliebatur, sed brevi tempore profligabat, paene sine labore ullo, quae alium valde fatigarent. Cum in nodum difficilem inciderat, ut in emendando, interpretando, fere in prima intentione ingenii occurrebat, quod quaereret: ubi res non processerat, semel iterumque tentando, ultra non quaerebat. Neque enim vim faciendam esse ingenio: Elicienda esse, non exprimenda, quae probare perito et eleganti iudici velis: quae nimis laboriose quaesita sint, vultum nitentis habere: his ipsis verbis, per iocum, urebatur. Atque hinc illa omnium, quae scripsit, naturalis et grata simplicitas, quae paene cogit probare inventa eius, et de rebus omnibus sententias.

tias. Sed huic tantaे ingenii felicitati adiunctum erat plurimum urbanitatis et venustatis, non modo illius, quae in toto habitu orationis, et rerum tractandarum modo cernitur, sed etiam eius, quae in singulis sententiis ac dictis se profert.

Scientiae paene infinita copia erat. Orientis linguis prope omnes callebat, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Samaritanam, Arabicam, Aethiopicam: Hebraicas literas ita excellenter, ut certare de principatu cum principibus earum literarum posset. Audivi eum, cum diceret, se Danzii de his literis libros, si perirent, restituturum. Latinarum et Graecarum literarum principibus adnumerare nemo dubitaverit. Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos pari studio ac diligentia legerat, nec minus diligenter res, quam verba tractarat. Nec ita admirabatur veteres, ut contemneret recentiores. Nam et hos legendi cognoverat. Theologiam ex eleganti Budhei disciplina acceptam nunquam dimiserat, nec erat quicquam in ea disciplina, quod eum fugeret. Sed laudabat

Theo.

Theologiam, quae e fontibus sacris ducta,  
et literis ornata esset. Novam hanc sub-  
tilitatem demonstratorum metaphysicorum  
non magis, quam veterem illam scholasti-  
cam, probabat, et in rebus theologicis  
*ασφολειαν* magis ab sensu impresso per  
scripturas et agentem per eas Spiritum S.  
quam ab subtilitate demonstrandi laudabat  
atque experebat. Itaque vix ferebat, testi-  
monium Sp. S. quod vocamus in arte, re-  
pudiari, de quo etiam, non ita multis an-  
te mortem mensibus, indigniunculari  
quandam suam literis apud me effudit,  
quem in eo sibi consentientem sciebat.  
Quaestiones subtiliores, et ad summam re-  
ligionis nihil pertinentes, sed controversiae  
plus quam veritatis et utilitatis habentes,  
aversabatur. Itaque de iis disputationes  
etiam a se amovebat, negando se Theolo-  
gum esse, usus per iocum Italico Sixti di-  
cto: *Io non sono Teologo: quod vidi eriam*  
in partem deteriorem per imperitiam aut  
malignitatem trahi.

Philosophiam vehementer amabat. Ve-  
teris scientissimus, etiam novam et eius in-  
venta

venta tenebat, nulli sectae addictus. Itaque cum hic esset, non minus saepe mecum de philosophia, quam de literis Graecis et Latinis, disserebat. Historiam naturae adamarat lecto diligenter Plinio, naturae historico. Sed etiam recentiorum observata libenter cognoscebat. In quo magnum adiumentum habuit Gottingae a consuetudine plurium naturae scrutatorum, Halleri, Segneri, Holmanni, et instituta in primis Academia, de qua supra dixi. Sed iam in hac urbe profecerat e Walthero et Platnero, quibus utebatur plurimum, itemque Hausenio, cuius etiam experimenta physica spectare cupiebat, quae tum primum proposuerat rerum naturalium studiosis, cum negaret sibi turpe fore, si horum spectator inter adolescentes federet; cum illa mimica spectacula sine turpitudine promiseue quaelibet aetas adiret. Sed haec Hausenii, praceptoris mei amantissimi, Mathematici excellentis et *αποδεικτωτάτης*, mentio me ad eam partem doctrinae Gesneriana de- ducit, quam literatores vulgo non attingunt, cum superiores illi principes, Melanthon, Camerarius, Ios. Scaliger, P. Victorius, alii- que

que magno studio amplexi sint. Itaque, ut alia incommoda taceam, interdum accidit, ut in poëtis, ubi Astronomica attingunt, vel haereant, vel turpiter labantur. Gesnerus autem non erat in hac parte doctrinae rudis, ut qui etiam Algebraam tractasset; negabatque perfectam humanitatis doctrinam sine illa scientia contingere posse. Et studiose commendabat adolescentibus hanc doctrinam, qua etiam ingenia acuerentur ad omne genus doctrinae recte percipiendum, et ad coercendam ingenii lasciviam, comparandamque *ἀνέβειαν* in omni genere doctrinac.

Historiam non modo veterem ita cognoverat, ut excellereret, sed etiam recentiorrem non neglexerat. Lexici historici, quod, e Buddei instituto, per Thom. Fritschium curatum est, cum editio altera pararetur, ei mandata est pars ea, quae ad Brunsvicensem et Brandenburgicam historiam pertineret: Et quae in Relationibus de libris novis IX. 9. itemque in prolusione aliqua de Russici Imperii historia scripta sunt, ea vero ita probata sunt, ut etiam Commen-

G tariis

tariis Academiae Petropolitanae infererentur. Habuerat huius scientiae augendae amplissimam facultatem in bibliotheca Vinariensi, qua vix alia est in hoc genere locupletior. Attigerat etiam Ius Civile Romanum, praceptor Latur. Andr. Hambergero, quem Gravinae Origines Iuris interpretantem Tenae audierat. Neque enim ignorabat, quam multa essent in libris Latinis, quae sine iuris illius scientia satis intelligi et explicari non possent.

Latinae eloquentiae non praceptorum magis excellentem, quam exemplum rectissimum et perpulcrum fuisse, nemo dubitaverit. Praecepta dicendi non inutilia putabat, sed in docenda iuventute iis parceret utendum censebat: admonebatque assidue suos, ne in iis magnam spem ad bene dicendi ac scribendi facultatem ponerent, sed in exemplis potius accurate cognoscendis, et in exercitationis assiduitate et constantia. Imitationem exemplorum commendabat, non servilem illam, sed liberalem, quae exemplis bene et assidue cognitis, et ingenii bonitate constaret, h. e. ea, qua ipse usus effet.

esset. Puritatē orationis Latinae laudabat, et pueris in primis sētandam dicebat, cuius aetati ea cura conveniret; ceterum super̄stitionem morosam improbabat, magis que habitum universae orationis curandum, et ad exempla recta singendum dicebat. Itaque in castigandis et iudicandis vel discipulorum vel aliorum scriptis, qua verba et phrases, minus acerbus erat, etiam subtimidus, ne reprehenderet, quae idonea auctoritate defendi possent, patiebaturque in eo sibi discentes obloqui. In Scholis non probabat morem singulorum scripta privatim corrigendi, non praesentibus, qui scrip̄sissent. Eum laborem frustra fere insumi, quod plerique vel negligerent inspicere, quae emendata essent, vel rationem et causam emendationis nescirent. Itaque sic instituerat in Schola Thomana, ut in exercitationibus publicis, maiores et provectiones statim Latine exciperent, quae Germanice proponeret, et audientibus omnibus, quos excitarat, corrigeret, ut inde et alii proficerent, et peccata sua emendarent. Ceterum, dum illos audiebat, modo hunc, modo aliud interrogabat, quid ipse scripsisset,

set, vel libros inspiciebat; interdum etiam veluti consilia cum discipulis inibat, de modo recte vel exprimendae sententiae, vel scripti emendandi, ut omnes acueret. Ipsius oratio pura est, elegans, perspicua, et venusta, etiam cum tenuissimas res, ut grammaticas et criticas, tractat: in ceteris, quae aliquem ornatum capiunt, crebra sententiis, acutis, novis, et, ut res sunt, vel gravibus, vel suavibus, adspersa verborum floribus, non oppleta, leniter profluens, bene vinclata et omnibus de causis mire dulcis. Quas ob virtutes, quicquid scripserat, cupidissime legebatur. Nunquam deerat, quod diceret apte ad causam, et ad personas. Ipsae illae praefatiunculae breves in capite Tabularum, quae lectiones Professorum indicarent, semper aliquam bonam et non vulgarem sententiam habebant, aut si hanc, tamen novo modo tractatam, et hanc ob causam suavitatis commendationem. Mirificum artificium erat in imaginibus personarum pinguendis, in quibus etiam pulcritudini reliquae adspersas labeculas ita exprimebat, ut lectores alienos non fecus, atque Ennium naevus in pueri cari articulo, delectarent,

nec

nec offendarent cognatos. An orator perfectus fuerit, qualem Cicero singit, alienum sit quaerere, aut in utramvis partem pronunciare. Si perfectus orator est, qui de omnibus rebus apte dicat, erit ei haec laus non deneganda. Quid enim non apte rebus et personis scripsit? Sin is, qui etiam grandia vel sua natura, vel motu animi, apte possit dicere, iudicandi facultas nulla est in eo, qui sublimis illius orationis, praeferunt qua motu animi magno censetur, usurpandae facultatem nec habuerit, nec habere in illo vitae genere potuerit. Ceterum memini me ex eo audire, sibi orationis illius usum negatum, quod vox ei apta et latera non contigissent: et illam vehementiorem sententiis, voce, gestu orationem a nostris moribus esse alienam.

Eloquentiae adiuncta erat poetica facultas, quam multis exemplis egregiis probavit peritissimis. Eam autem magis a naturae, lectio poëtarum adiutae, bonitate, quam exercitationum assiduitate habebat. Et feliciter ei res procedebat, sive Elegos, sive Odas, sive hexametros scriberet, manifestque

sitque ei facultas haec ad annum sexagesimum, quo, ut supra dixi, graviter decubuit. Nam ab eo morbo ita ipsi exciderat, ut frustra versus conaretur. Sed quod magis quis miretur, paucis ante mortem annis repente rediit. Adeo illa facultas non est in potestate nostra!

Docendi genus non modo perspicuum et accuratum erat, sed etiam suavitate quadam ingenii commendabatur, sine ostentatione doctrinae et lectionis. In enarrandis auctoribus Graecis et Latinis haec spectabat, primum, ut studiosi recte intelligerent verba et sententias: deinde, ut sententiarum et verborum virtutes sentire consuescerent, et gustu elegantiae et pulcritudinis imbuerentur, imbiberenque sensum honesti ac decori: sed nihil magis, quam ut seriem totius orationis perspicerent, modumque rei cuiusque tractandae. Itaque etiam celerius plerumque in interpretando progrediebatur, nec probabat eos, qui in nimis multas et minutas partes in interpretando conciderent v. c. orationem Ciceronis unam, in singulisque diu haererent per speciem diligentiae,

quae

quae nihil prætermitteret, et in succum et sanguinem discentium convertere omnia conaretur. Nam ita cum singula diligentius perspicere viderentur tirones, totius perspiciendi facultatem adimpi. Eandemque ob causam non probabat intervalla plura et longiora fieri lectionum super eodem scriptore, aut eadem oratione: sed eandem rem continuatis horis, et sepositis interea aliis rebus agi volebat; ita brevi tempore integras orationes absolvit, ut, qui mediocrem diligen-  
tiam adhiberent, totius argumentum, partes omnes, earumque coniunctionem et explicationem tenerent. Eius rei rationem ab eo in præfatione Livii Lipsiensis accurate expositam cognoscere possunt, qui volent. Nos quidem et ipsi hanc rationem constanter secuti sumus in Schola Thomana. Per vices, ut hoc utar, horis antemeridianis ita interpretabamur Orationes et Epistolas Ciceronis, ut unum et alterum librum epistoliarum uno tenore, senis per unam hebdomada dierum horis, explicaremus: iis mensis fere unius spatio absolutis, eodem modo aliquot orationes enarrabamus. Ita vertente anno, cum summa rerum actuarum fieret,

hoc

dimi-

dimidium certe epistolarum volumen, et se-decim amplius orationes, absolutas constabat. Item cum libros de Officiis proposuimus, singulos libros una continuatione, eo quo diximus modo, explicabamus, ut inter-valla non capitum et parvarum particula-rum, sed librorum fierent. Itaque qui quatuor aut tres annos usi erant disciplina nostra, Ciceronem non ex articulo uno et item altero, sed permagna sui parte cognoverant: eamque rationem discipulis nostris plurimum scio et ad intelligendum et ad scribendum profuisse. Licebat autem nobis in illa Schola talibus institutis uti, quod ca-rebamus misericordis illis legum vinculis, quibus in aliis Scholis obnoxii sunt etiam boni preeceptores, ut non possint suis institutis uti: et id faciebamus inconsultis iis, qui, de more, Inspectorum nomen ferrent. Deylin-gio memini me hoc narrare, cum plures iam annos illa ratione usus eram. Cum ei excusare factum instituerem, ille vero etiam me prudenter fecisse aiebat. Nam consulendo saepe bona consilia corrumpi. Me ve-ro rectius Inspectoribus omnibus intelligere, certe debere, quid esset utile iuventuti.

Sed

Sed ut ad Gesnerum redeam; in docendo magis curabat ingenia bona, et in quibus studium appareret, quam tarda et ignava. Si quos cognoverat, usu, et re aliquoties tentata, nihil proficere, ingenii et voluntatis vitio, eos fere negligebat, ne in iis male periret tempus, quod aliis prodesse posset. Et scio quosdam, cum se viderent negligi, et causam intelligerent, pudore incensos esse ad studium doctrinae, et proficere coepisse. Putabatur etiam interdum subiracundus esse in docendo: nec negabat, se aetate ea, quae ferventior esset natura, in hoc infirmiorem fuisse: addebatque per iconum, solarium sibi et aliis iracundioribus in docendo honestum et magnum esse a Cicerone propositum, quod, ut quisque ingeniisior sit, eo iracundius docere dicat (*Rosc. Com. cap. II.*) Aetate proiectiori, audivi, libenter ac saepe digredi solitum ad rationem praecipiendi de moribus, et ad explicandos locos communes ex eo genere, prope in concionum modum. Quae res si minus consilio docendi, at aeratis auctoritati apta fuit, cuius propria est, ut verissime ait Cicerio, monendi, cohortandi, adde etiam ob-iurgan-

iurgandi severitas et gravitas, quam etiam verbosiorum senectus ipsa fecit, praesertim in eo, qui etiam in verbis exercendis consenserat.

Scripta eius pleraque, maiora omnia, pertinent ad grammaticam et criticam rationem. Gottingae res scholasticae saepe facultatem dedere aliquid scribendi, in quo magis eloquentiam et ingenium posset ostendere. Memini eum, cum de scribendis libris colloqueremur, optare, ut aliquando scribere posset, in quibus ingenium magis quam diligentia valeret. Nam et iucundius legi, et plures atque etiam optabiliiores letores invenire, et maiorem laudem parare, cum diligentiam in potestate omnes habent, ingenio natura valeremus, et facilius doce, quam ingeniose et venuste scribentur. Libri autem ii, qui sunt e grammatico et critico genere, hoc est, auctores Graeci et Latini ab ipso curati, profecto sunt eiusmodi, ut disciplinam quandam habeant talium operum recte et salubriter condendorum. Crisis est modesta, severa et accurata, docta, atque etiam felix. Difficilia et

et obscura malebat explicare, quam corrigendo ad intelligentiam communem accommodare. Coniecturas ingeniosas laudabat magis, quam probabat: et nihil magis quam dulces illas ingenii illecebras in iudicando eavendum monebat. Nec tamen ingenio, literis et doctrina diu subacto, nihil tribuebat: quo et ipse non pauca feliciter correxit. Principatum in auctoribus constitueris et interpretandis tribuebat lectioni scriptoris cuiusque assidue, et uno tenore aliquoties repetitae, per quam ipsius scriptoris ingenium perspiceretur ac prope indueretur. Plerosque hac maxime de causa saepe verum non vidisse, aliena ab mente scriptorum tradidisse, et repugnantia scripsisse, quod tales lectionem neglexissent: de quo in Scriptorum rusticorum praefatione accurate scripsit. Itaque non probabat cunctationes editorum nimias; per quas obliuionem venire et eorum, quae scriptor, et quae interpres ante dixisset. In interpretando et illustrando brevitatem sequebarur, sed quae nihil desiderari pateretur. Itaque non obruebat lectores notis, sed adiuvabat. Nec verba modo curabat, sed vel in primis res.

res. Scriptorum Graecorum bene et ele-  
ganter vertendorum nullum aliud pulcrius  
exemplum extat, ut opinor, quam Luciani  
interpretatio Latina, quam ab Hemsterhu-  
sio, viro summo, depositam ipse susceperebat;  
adeo pura, elegans, et formae Lucianeae  
retinens est, salva Latinitate. In eo au-  
tem scriptore etiam hac, opinor, de causa  
felicius laboravit, quod eum ab adolescen-  
tia studiose legerat, ac paene imbibera-  
rat. In hoc ipso primum fere et maxime didice-  
rat, quid ad inveniendum et iudicandum  
professer lectio continens, et totum velut  
spatium saepe decurrens, et seriem rerum  
universam persequens. Nam hinc venerat  
ille primum velut gustus Lucianeus, per  
quem, quid Luciani esset, nec ne, et in li-  
bellis universis, et in singulis verbis ele-  
ganter discerneret, deinde acumen videndi,  
quid suo, quid alieno loco esset, ut in De-  
mosthenis Encomio, quod transpositione  
unius paginae feliciter primus restituit.  
Nec alia via primus omnium sensus veros  
Hippocratici de diaeta libri indagavit, et  
obscuritate liberavit: protractis in lucem  
Hippocraticis animabus; in quo tamen  
etiam

etiam sagacitas ingenii et (*anqelBeia*) diligentia, tum in iudicando, quid intelligas, nec ne, tum in determinandis notionibus verborum ac rerum profuit. Extrema aetate Orphica diligentius tractavit, iisque emendandis et illustrandis coronidem imponere huic generi operum ac laborum constituerat: quae erat digna tanto ingenio tantaque doctrina materia. Et satis scio, id opus, cui ad absolutionem nihil praeter praefationem deesse audio, dignissimum Gesneri nomine, et gloriosum Germaniae fore: in quo etiam Tecum saepe reperies actum, Celeberrime Ruhnkeni, quem propter ingenium doctrinamque vehementer admirabatur, mea causa etiam amabat.

Lexicorum vel conficiendorum, vel locupletandorum et emendandorum rationem optime tenuisse, gnaviter vel indoctus vel impudens sit, qui ambigat, aut se simulet ambigere. Farrago quidem Latina, quae a Fabro quodam primum instituta, ad has copias exaggerata est, eius de manibus primum sic prodiit, ut usibus discen-  
tium pariter et docentium videretur suffi-  
cere.

cere. Et tamen maius opus concepit animo, Thesaurum Latinitatis, ad formam Stephaniani institutum, sed quod iure suo unius nomine inscrispit. Neque enim alter Stephaniano labore usus est, quam probasi operis sui: ceterum ita correxit, auxit, non modo verbis et formis loquendi, sed etiam explicatione locorum innumerabilium, ut novum opus haberi posset. Quod nos quidem optime potuimus iudicare, qui opus, ut manu eius exierat, vidimus atque perspeximus. Neque tamen ita perfectum hoc opus vel volebat videri, aut voluerat esse, ut nihil ei ab aliis diligentia posset accedere, quod sane imperiti et iniqui sit, ab uno homine postulare. Non ignorabat, id fieri non posse, nisi quis omnes ex ordine autores Latinos hoc uno consilio legat, ut omnia in locos suos digerat: quod profecto non cadit in unum hominem eius aetatis, quae tali labori satis apta sit. Qui Lexica contemnere videri volebant, et eorum autores, omninoque de labore hoc, ut contemnendo, nec satis digno hominibus doctioribus, detraherent, quos inter vestrates fuisse quosdam scio, Ruhnkeni Doctissi-  
me,

me, iis non irascebatur ille quidem, ceterum contemnere illorum contemtum, atque etiam ridere magniloquentiam solebat. Reete. Sunt enim fere aut ii, qui id genus laboris reete aestimare nesciunt, aut ipsi hoc contemtu avertere suspicionem volunt, se talibus e libris saepe sua sumere. Est profecto multo facilius, minorisque doctrinae, in uno, aut aliquot scriptoribus Latinis, de verbis et de phrasibus, quibus velis ac pos- sis, aliquid, vel explicandi, vel illustrandi causa, afferre in medium, quam omnes Latinitatis copias recensere, ubi nullam partem praetermittere intactam licet. Et si notis illorum contemtorum detrahere velis, quae ad Lexicon pertineant, aut e Lexicis, si non aperte, at callide, et artificio quodam, sumta sint, quae reliqui summa foret? Sed de ea re ipse dixit, tum in Thesauri sui prae- fatione, tum in ea, quam Reiheriano scri- psit, qua etiam non leviter offendum scio aliquem vestratum; sive ita sibi conscius erat, ut ad se traheret, quae ibi in hanc senten- tiā dicta repererat, sive quis, ut mihi nar- rari memini, ex hac urbe ad eum miserat plagulam illam, et in eum scripta esse per- sua.

suaserat, quae in eam partem dicta essent. Sed haec de ingenio Gesneri, doctrina, et meritis in literas dicta sunt: ad animum eius moresque veniamus: quae pars etiam pularior et iucundior, nisi vehementer fal- lor, reperietur.

Initium faciamus a religionis reverentia et amore atque pietate in Deum. Et religionem quidem tanti faciebat, in ea que tantum hominis bonum esse censebat, ut generis humani communes hostes iudicaret, et propterea odio acerrimo dignos, qui eam eripere hominibus, aut eius dignitatem labefactare conarentur. Ipse veritatem Christianæ religionis et praestantiam sensu magis et experientia quam subtilitate demonstundi se cognovisse dicebat, praefertim in pericolosis morbis, cum vitae finis adesse videretur: non quo plane contemneret demonstrationes a viris doctis tentatas, sed quod eas aliis magis, quam demonstratori prodesse, magisque ad alliciendos animos, quam ad certam persuasionem valere, πληροφορίαν illam πιστεως, rerum humana- rum et mortis ipsius victricem, ab sensu a-

Spiri-

Spiritu S. impresso venire existimaret. Pie-  
tas in Deum erat integra, nulla ostentatione  
fucata, factis magis quam specie et verbis  
se proferens, totiusque vitae moderatione  
et aequitate. Nam neque in rebus secun-  
dis, quae ei per vitam prope universam  
contigere, efferebatur, neque in adversis ita  
deprimebatur, ut se ad aequitatem animi  
attollere non posset. In periculis, quae im-  
minebant Gottingae, antequam iterum ca-  
peretur ab hostibus, consuefecerat animum,  
meliora sperare, fretus providentia divina;  
cum secus evenisset, ferre, quae accidissent.  
Eximere spem conantibus, *interea*, respon-  
debat, *usura fruamur.* Per totum tempus,  
quod inde capta iterum urbe, inter commu-  
nia et magna incommoda, quae per obsi-  
dionem superioris hiemis premebant urbem,  
exactum est, in literis ad me suis nihil ad-  
modum questus est, sed omnia tolerabilia  
narravit. Haec aequitas et constantia esse  
non potest, nisi a vera pietate in Deum,  
quae et munit animum adversus acerbita-  
tem sensus, eumque lenit et extinguit, et  
animum reverenter submittere voluntati di-  
vinae docet. Audivi in principiis rerum

H

Got-

Göttingensium, nondum constitutis omnibus, ei irasci solitos, qui multa sibi deesse quererentur, cum ipse nihil sibi deesse dicere. Nempe eadem ipsi, quae aliis deerant, fortasse etiam plura, ut qui a Lipsiae copiis venerat, sed animus aequus ei non deerat, qui se flectere et aptare rebus posset, non res sibi parere vellet, insuetas imperii humani, nec audientes cupiditatum humanarum vota. Pulcerrimum dictu est, quomodo tuliterit acerbissimum casum uxoris optimae, quacum tot annos vixerat, cuiusque auxilio in illa valetudinis infirmitate maxime indigebat. *Recepi me, paucis diebus post ad me scripsit, ab animi confusione, quam adspexit moribundae et mortuae et pompa mortis offuderat.* Melius erat me destitui, quam ipsam, cum alterutrum destitui necesse esset.

Nec fortunae magis aequus erat, quam hominibus. Suum cuique reddere iudicio suo, etiam cum corollario: nemini invidere fortunam, omnium minime laudem et gloriam. Immo favebat ingenii, saepe supra, quam digna essent, et ab illa, quam dixi, aequitate, et ab studio hominum vel iuvan-

iuvandorum laude sua, vel incendendorum. Itaque etiam peccatis et erroribus facilis erat, tegebatque magis et dissimulabat, quam aperiebat aut exprobrabat. Solos hos non satis ferebat, qui ad infelicitam adiungerent impudentiam, et ostentarent doctrinam, in qua ne mediocritatem quidem attigissent. Fatebatur, eam sibi indignationem commoveri a memoria fraudis, quae sibi aliquoties ab tali impudentia et ostentatione oblata esset. Erat autem haec indignatio eiusmodi, quae ultra verba non procederet, eaque modo apud ipsos, corrigendi causa, aut inter amicos, expromebatur. In scriptis neminem unquam ob talem aliquam causam asperius tractavit, praeter unum Helladium, cuius impudentiam in Miscellaneis Lipsiensibus prioribus acri sale perfricuit. Et aliquoties eum audivi optare, ut sibi illud iuvenilis acrimoniae, ac prope lasciviae, opusculum revocare liceret: quod optatum, nisi fallor, etiam scripto prodidit.

Par aequitas erat adversus eos, a quorum sententiis disrepararet sua, nec modo in consiliis eapiendis, sed etiam in communibus

H 2

literis

literis, nec vidi, qui facilius, ubi veritas ab  
se non staret, in alterius sententiam flecte-  
retur: quippe non se, sed veritatem spe-  
stabat. Atque etiam, cum in disputato-  
rem, quamvis falsum defenderet, tamen  
pertinacem incideret, aliquoties tentata cor-  
rectione, ubi nihil proficiebat, cedere se si-  
mulabat, eo vultu, ut ille stultus etiam se  
viciisse gauderet: quam laetitiam se nemini  
invidere dicebat. Cavebat tamen, ne post-  
haec tali disputationi se immittere necesse  
haberet. Ac scio fuisse, quiccum de inter-  
pretationibus et emendationibus locorum  
difficilium sermones conferre omni modo  
fugeret.

A quibus vero durius ipse tractatus  
erat in hoc genere, iis nunquam acerbe re-  
scripsit. Non tulerat Petrus Burmannus  
dissensum eius in locis Quintilianeis. Ita-  
que in Lucaniis notis aliquoties, ut scis,  
Ruhnkeni Doctissime, vehementius rescri-  
pserat. Quid Gesnerus? Nihil nisi leni-  
ter questus est super iniuria apud Ruckerum,  
ICTum, Burmanni collegam; a quo facilli-  
me exoratus est, ut parceret seni, quem  
nimio

nimio plus adfligeret morbus gravissimus. Pontederae morosas et suspicaces, iniurias magis, quam querelas, quomodo exceperit, omni ultione praetermissa, veras et lenes querelas atrocibus reponens, (*praef. Luciani*) non ignoras. Menkenio, qui, nulla iniuria accepta, corporis magis, ut putabam, quam animi morbo incensus, in eum effuderat aliquid bilis vitiosae, nihil pro acerbitate ea reddidit, nisi *Programma de ministratoribus criminum* (*Bolzendrehern*) quo nomine ab illo appellatus erat, ipso ne verbo quidem laeso. Ita hoc paene lusu res transmissa est. Quotusquisque ad hanc sapientiam et aequitatem animi se pervenisse vere potest dicere? Sed maius etiam fecit in Popevicio, a quo *Thesaurus Latinitatis pari inscitia, et acerbitate reprehensus* erat in libro, quem *de Mari* inscripserat. Vis scire, mi Ruhnkeni, qua de causa? Nempe in Lexico eo, quod non Germanis solis aut maxime scripserat, in quo non magis verbum Germanicum esse voluerat, quam editores Britanni Anglicanum, aut Stephanus quondam Francicum, in eo igitur nomini- bus Latinis plantarum, animalium, arborum  
nomina

nomina vera Germanorum non addiderat.  
 Magnum crimen et dignum istis tragoeidiis!  
 Et laudavit contra Fabrianum Lexicon, quod  
 ipse Gesnerus bis totum recensuerat, ut fa-  
 cile fuisset omnia in novum Thesaurum vo-  
 cabula Germanica transferre, si consilium  
 tulisset. Sed ille sive nimio linguae patriae  
 amore et studio, quod etiam, cum paullo  
 post editum librum hic esset, mulierculae  
 interdum ridebant, ablatus, sive, ut tum  
 fama ferebat, ab obtrectatoribus Gesneri  
 Lipsiensibus inductus in hanc fraudem erat.  
 Cuius famae fidem tum mihi facere videba-  
 tur, quod satis sciebam, unum ex istis ho-  
 mini cuidam obscuro et famelico, qui re-  
 deATORI Scriptorum rusticorum, nescio qua  
 de causa, iratus, iactarat, se in corrigendis  
 speciminibus typographicis sustulisse multa  
 peccata grammatica notarum, ei igitur pecu-  
 niā obtulisse, ut ea scripto vulgaret.  
 Haec propterea scripsi, ut intelligerent ho-  
 mines invidi et maligni, artes has minutas  
 et obscuras non in obscuro esse, sed cum  
 contemtu et infamia sua patescere, post mor-  
 tem etiam proferri. Sed Gesnerus, ut ad  
 eum redeamus, adeo non aegre tulit iniu-  
 riam,

riam, ut etiam auctor esset homini confi-  
ciendi nomenclatoris herbarum, arborum,  
piscium &c. Latino-Germanici, cum accu-  
ratis rerum ipsarum explicationibus, quales  
historiae naturalis periti desiderarent, eique  
in ea re, quiequid opis ferre posset, pollicie-  
retur, si Gottingam venire, et ibi hoc agere  
vellet.

Haec autem tanta lenitas et mansue-  
tudo non a lentitudine naturali et negligen-  
tia famae venerat, nec ab assuetudine iniu-  
riarum excipiendarum, quae callum obdu-  
cit paullatim, sed ab inductione animi, quae  
sola constantiam dignam Philosopho et Chri-  
stiano adfert. Inerat enim natura teneri-  
tas quaedam et mollitudo animi in utram-  
que partem, ut acri sensu et beneficiorum  
et iniuriarum moveretur. Ea conservata  
et aucta erat perpetua indulgentia, qua  
summi eum viri constanter foverant multos  
per annos. Itaque ab initio, quod ipse mi-  
hi fatebatur, vehementius movebatur, cum  
ei aliquid accidisset, quod non deberet, is-  
que morsus animi ipso vultu se prodebat.  
Sed ille, id quod animadvententi observare  
licebat,

licebat, omni ope sorbebat dolorem et animum cogebat concoquere, in principiis quidem non sine incommodo valetudinis, paulatim sine noxa et magna cum constantia: quam cum ab aliis, tum a Brendelio, eruditissimo et celeberrimo medico Gottingensi, audivi praedicari, cum ille paullo post gravem Gesneri morbum, de quo ante dixi, aliquot dies in hac urbe commoraretur, et multum esset mecum. Etenim nihil aliud magis aiebat se mirari in Gesnero, quam lenitatem et patientiam in ferendo tali dolore. Incredibile esse dictu, quae ille et quanta cum constantia et aequitate interdum in Consilio publico a collegis quibusdam audierit. Nec vero ita opprimebat dolorem, ut memoriam retineret, et, se retinere per occasionem, dictis factisve ostenderet. Etiam cum repentina aliquo et non proviso dolore opprimebatur, tamen statim colligebat se, atque et ad ignoscendum paratus erat, et vero etiam ad amicitiam iungendam, si quis vellet.

Neque enim proniorem aut aptiorem ad amicitias hominem vidi, vel natura et ingenio,

genio, vel animo et moribus. Qui tam libenter loqueretur cum mortuis, quorum delectum coetum domi, pulcherrimum concilium in bibliotheca publica habebat, tamen non minus libenter, vel coram, vel per literas, agebat cum vivis. Omnium hominum erat: nemo ab eius aditu, consuetudine, sermone excludebatur. Et poterat cum omnibus, apte ad personam cuiusque, sermocinari, ut supra praedicavi. Alliciebat autem ad se omne genus hominum meliorum doctrinae suae et humanitatis fama, capiebatque adeuntes ac colloquentes sermonum copia, utilitate, varietate, comitate, atque etiam, cum personae, res ac tempus paterentur, amoenitate. Nihil in eo arrogantiae aut fastidii erat, vel adversus eos, quibuscum esset, vel de quibus sermo incidet: de nemine detrahere, extollere etiam supra veritatem, sequi demittere infra aequales aut minores vel ordine, vel ingenio et doctrina. In lectione paene infinita, etiam scriptores recentioris aetatis Francicos, Britannicos, Italicos, Germanicos complexus erat. Itaque non modo de his quoque sermones ferere poterat, sed etiam refertus

I

erat

erat copia rerum, factorum, dictorum, quibus commemorandis exhilararet confabulatores. Et ipse acute movebatur in iocando. Erat autem genus iocandi liberale, venustrum, hilare, inter eruditos etiam doctum. Quo minus mirandum, si, ut priora tempora praetermittam, quoad Gottingae vixit, etiam ab illustrissimis hominibus, et exquisita elegantia excultis eius consuetudo expectata fuit. Duces quidem Francici, qui Gottingae per hoc bellum praesidiis praefuerent, omnes eius consuetudine libenter sunt usi, saepeque ad eum visendum colloquendi causa ita venere, ut eum in mediis studiis literarum opprimerent, et de rebus iis, in quibus tractandis eum reperissent, cum eo differerent. Dux autem Novi Castrorum, cum Regi comes Gottingae esset ante plures annos, cum nullo alio plures sermones misserit, eum omnium maxime humanitate sua est complexus.

Sed ut haec sint ad amicitias conciliandas et sustentandas efficacissima, tamen sunt modo, ut ita dicam, voluptaria et condimenta amicitiarum. Illa vero maiora, san-

sanctiora, et salubriora, fides, integritas, iuvandi verissima voluntas et acerrimum studium, constantia denique, pariter reperiabantur. Quae sunt labefactandarum aut dissolvendarum amicitarum, suspiciones, invidiae, levitates, longissime aberant. A suspicionibus non modo in amicos, sed etiam alios, adeo alienus erat, ut etiam saepe deciperetur, a quibus non putarat, opusque haberet admonitionibus amicorum, ut caveret. Sed malebat in hanc partem cum aliquo incommodo suo ac dolore decipi, quam in alteram cum iniuria adversus innocuos, et nimis bonus videri, quam maligne cautus.

Nihil illo officiosius non modo in amicitiis, sed adversus omnes. Et officium, id quod multis locis et in multis hominibus intellexi, ita praestabat, ut appareret eum gaudere officio, et in eo fructum amicitiae ponere. Nec quemquam eius auxilium in ulla re frustra expetiisse, scio, cuius facultatem haberet. Interdum non optima gratia referebatur: nec tamen poenitebat. Ipse autem quicquid ei vel a maioribus beneficii,  
vel

vel ab amicis et aequalibus et minoribus officiis, tributum esset, ita accipiebat, ut etiam gratia augeret, memoria perpetua prosequeretur, et in beneficio accepto poneret, si remunerandi occasio oblata esset ab iis, quibus deberet.

In suos indulgentia mirifica erat, sed innoxia, et quae officii gravitate salubriter temperareretur. Itaque liberi auctoritatem eius ita reverebantur, ut metus omnis abfasset, cum patre una inque conspectu eius esse, omnia, quae velle quaeque velle coniicerent, facere gauderent. Ex institutis paternae disciplinae non alienum sit hoc commemorare, quod ab infantia ita consuecerat filiam pariter ac filium, ut secum Latinę omnia loquerentur, ad cuius rei facultatem ipse eos adduxerat non praceptorum severitate, et scholis habendis, sed usus lenitatem, et artificiis, lusus quam disciplinae similioribus. Idemque in nepte ex filia et instituisse et perfecisse audivi,

Consuetudo vitae domesticae haec erat, dormiebat ad horam sextam, nisi qua necessi-

cessitas citius surgere iuberet: somnum petebat ab hora decima: aliter vix satis ad labores vigebat. A prandio residens in folio expectabat somnum, qui ei paratus et per officiosus aderat, sed, ut humani salutatores negotiosorum hominum solent, vix ultra horae quadrantem manebat: et tamen plane recreatus surgebat. Negabat, se sine hac refectione satis alacrem ad reliquam diei partem esse. A coena, quam tenuem et parcam sumebat, in museum pergebat, studisque doctrinae, vel epistolis scribendis, ad horam decimam vacabat. Id tempus, quod sine interpellatoribus exigere licebat, in primis carum habebat, idque sibi eripi non libenter patiebatur. Miraberis, Ruhnkeni Optime, quomodo in hac vitae consuetudine, quam ab initio usque ad extremum tenuit, inter tot labores docendi, negotia alia publica, interpellationes crebras adeuntium, curas rerum domesticarum, cum etiam epistolas saepe et ad multos scriberet, immo ad omnes, a quibus per literas compellatus esset, quomodo tantas doctrinae copias congerere, tot libris conficiendis ac scriptioribus aliis sufficere potuerit. Sed sibi

sibi vicariam temporis longioris adsciverat mirificam et diligentissimam dispensationem diei, quae nullam particulam sine actione effluere sineret; et a natura habebat mirabilem alacritatem facilitatemque agendi, de qua etiam supra commemoravi, magisque ingenii parati felicitate, et consuetudinis efficacia, quam laboris contentione valebat. Ea porro alacritas per omnem diem aequabiliter vigebat, et ad somni capiendi horam statam perferebatur, magisque adsuefactio- ne, quam lassitudine le<sup>t</sup>um, cum hora ve- nerat, petebat: in quem cum se vix coniecerat, quamquam sine fatigatione, tamen mox obdormiscebat, et ad horam, quam diximus, sine intervallis vigiliarum, placide somnum continuabat.

Corporis species, in statura iusta, plu- rimum dignitatis habebat; eaque, ut audio, ad extremum salva permanxit. Oris linea- menta bene expressa sunt in imagine ea, quae caput Thesauri ornat, nisi quod arti- fex, dum radio fingere vultum ad comita- tem et hilaritatem tentat, sive illa pictoris culpa fuit, irridenti similiorem fecit: quo nomi-

nomine Geretium, de quo supra dixi, apud me indignari memini. Erat enim in vultu plurimum gravitatis, sed quae a tristitia longe abesset, et temperaretur comitate. In sermone cum amicis, et adeuntibus visendi causa, hilaritatis etiam aliquid accedebat, quo facile caperet animos hominum. Pronunciabat perspicue, pressus tamen, et cum aliqua gratia. In incessu, gestu et omni motu corporis, ingenii illa et animi alacritas, de qua ante dixi, perspiciebatur. Nec ea destituta est a corpore, statim post graviorem illum morbum; paullatim tamen aliquid languoris trahere videbatur.

Alacritas et vigor ingenii ne moribundum quidem defecit, multo minus tranquillitas et aequitas animi. In ipso lecto fatali circumfusum fuisse libris, et legisse aliquid, aut scripsisse, constat. Nec Orphica aberant. Ad extremum medici per familiarem quendam ei denunciarunt, vitae finem haud procul abesse. Qua denunciatione audita, *bene habet*, inquit. *Quae cum Deo agenda sunt discedentibus a vita, non ad hoc tempus distuli.* Et meis mandata dedi pleraque. Ergo cetera  
expe-

*expediamus.* Atque ita fecit: biduumque proximum, sine ulla trepidatione, inter placida et tranquilla omnia exegit; ipso oris habitu et sermonum omnium constantia tranquillitatem pectoris approbante. In sermonibus ipsis omnia digna viro vere Christiano; et qui sapientiam divinam et humanam tot per annos exercuisset, in quibus et ipsis placide defecit. Ita qui totam prope vitam voce, literis, factis docendo consumsis, etiam finem vitae habuit; in quo esset disciplina pulcherrima mortis bene obeunda, nec minus gloriae apud posteritatem habitura, quam certa ingenii, animi ac vitae bona, quoad literis et sapientiae et virtuti honoris suus constabit, habebunt.

Verusne fui, Ruhnkeni Praestantissime, cum in principio dicerem, quomodo affectus ab hac lectione discessurus esses? Utcunque sit, ea certe, quae de Gesnero dixi, verissime a me dicta sunt, nec quicquam verius possum dicere, quam, me memoriam viri ad finem vitae summa cum pietate conservaturum, ea- que mihi nihil in rebus humanis carius et iucundius futurum. Vale!





Ca. 484/8°

(x 2590004)

AC







E L O G I A  
TIBERII  
HEMSTERHUSII  
ET  
IO. MATTHIAE  
GESNERI.

AUCTORIBUS  
DAVIDE RUHNKENIO  
ET  
IO. AUG. ERNESTIO.

IN USUM STUDIOSORUM RECUSA.

HALAE SAX.

APUD IOANN. GOTTFR. HELLER.

M D C C L X X X V I I .